[Eklekta georgika], sive opvscvla qvaedam de re rvstica / partim collecta, partim composita à Ioachimo Camerario ... ; quorum catalogus post præfationem habetur.

Contributors

Camerarius, Joachim, 1534-1598.

Publication/Creation

Noribergae : Excudebat Paulus Kaufmann, 1596.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/pa3frau9

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org


DE
RE
RUSTICA
CAMERARIUS
1596

MSL/CAM 65158/A

Formerly bound with Heresbach, C.
Rei rusticae libri quatuor. 1573

ΕΚΛΕΚΤΑ ΓΕΩΡΓΙΚΑ,

Sive

OPVSCVLA QVÆDAM De RE RVSTICA,

Partim collecta, partim compoſita à

Ioachimo Camerario, Inclytæ Reipub. Norib. Medico.

Quorum Catalogus poſt præfationem habetur.

EDITIO iterata auctior.

NORIBERGAE, Excudebat Paulus Kaufmann,

CIↃ. IↃ. XCVI.

Illustri ac Magnifico Viro,

D. HENRICO RANZOVIO, REGIS DANIAE IN CIMBRICA CHERSONESO PRODUCI &c.

Domino suo observandiss.

S. D.

COLLEGI ANTE ANnos circiter viginti, nonnulla ἐκλεκτὰ ex diversis autoribus de re Rustica, idque horis subcisivis, ad aliquam meorum laborum honestam recreationem, ac ad privatum potius usum quàm publicam editionem. Quæ cum amici quidam, non minus quàm ego φιλογεωργοὶ, apud me vidissent, hoc qualecunq; meum studium non solũ non improbarunt, sed collaudarũt quoq;, & mihi insuper autores fieri non dubitarunt, ut in publicũ exire

paterer : quorum ego voluntati judicioque refragari nolui, atque ideo typographo tunc nostro ea imprimenda tradidi. Fateor quidem hæc esse satis tenuia & leviter tantum ὡς ἐν τύπῳ καὶ παχυμερῶς delineata : lectorib. tamen animadverti non fuisse omnino ingrata, credo quod hæc paucula, tàm ex veteribus quàm recentioribus desumta, & in hanc ἐγχειρίδιον formam contracta facilius rusticatum abeuntes secum circumferre possent. Cum vero, Illustris & Mag.ce D. RANZOVI, hæc à T. Illust. Præst. quoque desiderari, tanquam à viro omni laudabili doctrina instructissimo, ac insuper litterarum bonarum litteratorumque omnium Mœcenati singulari, ex humanissimis litteris, quas T. Ill. Præst. ad me dare dignata est, intellexissem, nulla verò exempla prioris editionis reperiri amplius possent, existimavi, me non male omnino aut infeliciter operam collocaturum esse, si hisce brumalib. diebus, quo

quo tempore alioquin propter valetudinem minus firmam domi me cõtinere cogebar, hæc omnia paulò diligentius recognoscerem, & multis in locis auctiora reddita rursum evulgarem, atque peculiariter ad T. Illust. Præst. mitterem. Quam meam qualemcumque opellam, & hæc quoque arbusta, humilesque myricas (secundum poëtam) inter excelsas gravissimasque curas & occupationes, ut respicere benigno vultu, & per ocium interdum perlustrare, inque sua luculentissima Bibliotheca locum his concedere aliquem T. Illust. Præst. velit, ac in posterum me meosque suo favore complecti pergat, etiam atque etiam ab ea peto. Bene ac feliciter vivat ac valeat T. Ill. Præst. Norimbergæ, Calend. Decembris, Anno CHRISTI 1595.

Tuæ Illust. Præst.

obsevantiss.

Joachimus Camerarius D.

CATALOGVS EORVM QVAE IN HOC LIBELLO *continentur.*

SENTENTIAE de præcipuis rei Rusticæ partibus insigniores, ex diversis autoribus collectæ.

LEGES rusticæ ac villicæ.

PROVERBIA quædam selectiora.

HIEROGLYPHICAE picturæ antiquæ, boni Agricolæ officium designantis explicatio.

EPISTOLA vel potius Oratio elegantiss. Alberti Lollii, Encomium vitæ Rusticæ exponens, ex Italica in Latinam linguam conversa.

ALTERA Epistola Aeneæ Sylvii eiusdem argumenti.

CARMEN eruditiss. eadem tractans Lazari Bonamici.

CATALOGVS scriptorum Rei Rusticæ & Herbariæ ac similium, tàm veterum quàm recentium, qui in variis linguis aliquid de illis scripserunt.

SENTENTIÆ DE PRÆCIPVIS REI RVSTICÆ partibus insigniores, ex diversis autoribus collectæ.

AGRICVLTVRAE ORIGO.

Genes. 3.

IN sudore vultus tui vesceris pane tuo.

Syracides cap. 7.

Μὴ μισήσῃς ἐπίπονον ἐργασίαν καὶ γεωργίαν ὑπὸ ὑψίστου ἐκτισμένην: *id est, Ne oderis opus plenum laboris & agriculturam conditam ab Altissimo.*

Ioseph. Antiquit. lib. 1. cap. 3.

Ποιμενικὸς δ' ἦν ὁ βίος ἀβέλ, γεωργὸν τὸν ἀρῆν ἐπενόησεν πρῶτος ὁ κάϊν. *Pastoriciam vitam Abel, Agriculturam vero primus exercuit Cain.*

Primum omnium Cererem (quæ, ut Ciceroni lib. 2. De Natura Deorum placet, à gerendis frugibus tanquam Geres nominata est) mortales docuisse agriculturam testatur Virg. 1. Georg. μυθολογικῶς:

Prima Ceres ferro mortales vertere terrã
Instituit.

Ovid. 5. Metam.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimẽtaq; mitia terris.

Quidam Agriculturam ante alios, ut testatur Diod. Sicul. lib. 1. Osirim, qui & Dionysius dicitur, reperisse ferunt, unde Tibullus:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et tenerum ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.

Varro lib. 3. cap. 1.

Divina natura dedit Agros, Ars humana ædificavit urbem.

Ibidem.

Cum duæ vitæ traditæ sunt hominũ, rustica & urbana, dubium non est, quin hæ

hæ non ſolum loco diſcretæ ſint, ſed etiam tempore diverſam originem habeant. Antiquior enim multo Ruſtica : quod fuit tempus, cum rura colerent homines, neque urbem haberent.

AGRICVLTVRAE DEFINItio, principia, partes, finis.

Varro lib. 1. cap. 3.

Agricultura eſt ſcientia docens, quæ ſunt in unoquoque agro ſerunda (aliâs ſervanda) & faciunda, quæ terra maximos perpetuo proventus ferat.

Varro ibidem.

Eius principia ſunt eadem quæ mundi Ennius ſcribit, Aqua, Terra, Anima, Sol.

Palladius lib. 1. cap. 2.

Primo igitur eligendi & bene colendi agri ratio quatuor rebus conſtat, Aëre, Aqua, Terra, Induſtria. Ex his tria naturalia, unum facultatis & voluntatis.

Idem alibi.

Agriculturæ partes ſunt quatuor

summæ, è quibus prima cognitio fundi: Solum partesque eius quales sunt. Secunda, quæ in eo fundo opus sunt & debeant esse culturæ caussa. Tertia, quæ in eo prædio colendi caussa sint facienda. Quarta, quo quidque tempore in eo fundo fieri conveniat.

Varro lib. 1. cap. 4.

Hinc (cognitis principiis) profecti Agricolæ ad duas metas dirigere debent: ad utilitatem & voluptatem. Utilitas quærit fructum, voluptas delectationem. Priores partes agit quod utile est, quam quod delectat &c.

COMMODA, VTILITAS & laudes.

Proverb. 28.

Ὁ ἐργαζόμενος τὴν ἑαυτοῦ γῆν, ἐμπλησθήσεται ἄρτων. Qui laborat diligenter terram suam, panibus satiabitur.

Augustinus in Genesin lib. 8.

Quid enim majus & mirabilius spectaculum est, aut ubi magis cum Natura rerum humana ratio quodammodo loqui potest? quàm cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis,

sculis, insitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis, quid possit, quid in ea valeat numerorum invisibilis & interior potentia: quid extrinsecus adhibita diligentia, & in ipsa consideratione perspicere? Quare neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat DEVS. *Ita etiam illud operis, quod accedit extrinsecus, per istum accedit, quem nihilominus creavit, & quem regit & ordinat invisibilis* DEVS.

D. Chrysostomus in 2. Epistola ad Corinthios, Homilia 15.

Ἀλλὰ καὶ τέτων ἁπάντων τῶν τεχνῶν ἀναγκαιοτέρα παίζων ἡ γεωργικὴ, διὸ καὶ πρώτην εἰσήγαγεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον πλάσας. ὑποδημάτων μὲν γὰρ καὶ ἱματίων δυνατὸν ζῆν, γεωργικῆς δὲ χωρὶς, ἀμήχανον. *Sed ex illis ipsis artib. nulla magis necessaria quàm Agricultura est, quam etiam* DEVS *ipse, cum hominem formasset, postea statim introduxit. Sine enim calceamentis & vestibus vivere possumus; absque autem Agricultura id fieri nequit.*

Phile-

Philemon.

Δικαιόταtην κτῆμ' ἐστιν ἀνθρώποις ἀγρὸς.
Ὧν ἡ φύσις δέηται γὼ ἐπιμελῶς φέρει,
Πυρὸς, ἔλαιον, οἶνον, ἰσχάδας, μέλι.
Τὰ ἀργυρώματα δ' ἐστὶν, ἢ τε πορφύρα,
Εἰς τὰς τραγωδὰς ἔυθετ', οὐκ ἐς τὸν βίον.
Iustissima hominibus possessio est ager,
Ea enim, quib. eget natura, profert abunde,
Triticum, oleum, vinum, caricas, mel.
Argentea autem vasa, atque purpura.
Ad Tragœdias usum habent idoneum,
non ad vitam.

Amph. Comædus.

Εἶτ' οὐχὶ χρυσῶν ἐστὶ πραγμ' ἐρημία,
Ὁ πατὴρ γε τοῦ ζῆν ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγρὸς,
Πενίαν ἢ συγκρύπτειν ἐπίσταται μόνος,
Ἄστυ ἢ θέατρόν ἐστιν ἀτυχίας σαφῶς γέμον.
An non aurea res est solitudo?
Est sanè vivendi pater hominibus ager
Et solus novit occultare paupertatem.
Vrbs autem theatrum est infelicitate palam scatens.

Menander.

Ὁ τῶν γεωργῶν ἡδονῇ ἔχει βίος
Ταῖς ἐλπίσιν τ' ἀλγηνὰ παραμυθούμενος.
Agricolárum vita voluptatem capit,
Dum tristia spe futurorum solatur.

Idem.

Idem.

Ἆρ' ἐστὶν ἀρετῆς καὶ βίου διδάσκαλος
Ἐλευθέρου τοῖς πᾶσιν ἀνθρώποις ἀγρός.
Est profecto virtutis & vitæ magister
Ingenuæ omnibus hominibus ager.

Horat. lib. 1. Epist.

Tu nidum servas, ego laudo ruris amœni
Rivos, & musco circumlita saxa, nemusq;
Quid quæris? vivo & regno, simul ista reliqui
Quę vos ad cœlũ effertis rumore secundo.

Cicero lib. 1. de Offic.

Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est Agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.

Theoph.

Ἡ γεωργία ἀνδρὸς τοῦ ἐλευθέρου ἐστὶν ἀξία.
Agricultura ingenuo homine digna est.

Cicero pro Roscio Amer.

Vita rustica, quam nos agrestem vocamus, parsimoniæ, diligentiæ, justiciæ magistra est.

Ibidem.

Vita rustica maxime disjuncta est à cupiditate, & cum officio conjuncta.

Plini-

Plinius.

Nullum juſtius genus reditus, quam quod terra, cœlum, annus refert.

Ariſto. 4. πολιτικ. cap. 4.

Βέλτιςον γὰρ δῆμον ὁ γεωργικὸς ἐστὶν. *Opt. eſt multitudo agricolarum.*

In Catone majore, quo in loco plura huc pertinentia elegantiſs. exponuntur.

Hominum generi univerſo cultura agrorum eſt ſalutaris, nulla vita beatior eſſe poteſt. Neque ſolum officio, ſed & delectatione & ſecuritate, copiaq; rerum omnium, quæ ad victum hominum & cultum etiam pertinent.

Xenophon in Oeconom.

Τᾶυτα ὦ κριτόβυλε ἐγὼ διηγοῦμαι, ἔφη ὁ σωκράτης, ὅτι τῆς γεωργίας, καὶ οἱ πάνυ μακάριοι δύνανται ἀπέχεσθαι. ἔοικε γὰρ ἡ ἐπιμέλεια αὐτῆς εἶναι, ἅμα τε ἡδυπαθείᾳ τις καὶ οἴκῳ αὔξησις, καὶ σωμάτων ἄσκησις, εἰς τὸ δύνασθαι ὅσα ἀνδρὶ ἐλευθέρῳ πρόσηκε, i. Hæc, Critobule, inquit Socrates, ideo narro, quod agricultura max. etiam beati abstinere nequeat. Studium enim huius &

curam

curam simul voluptatem habere, simul rem familiarem augere, simul corroborare corpora probabile est, ut exequi aliquis boni viri munera valeat.

Ibidem.

Τὶς γὰρ τοῖς ἐργαζομένοις πλείω τέχνη ἀντιχαρίζεται, τὶς δ' ἥδιον τὸν ἐπιμελόμενον δέχεται, προτείνουσα προσιόντι λαβεῖν, ὅτι χρήζει; τὶς δὲ ξένοις ἀφθονώτερον δέχεται. *Quæ non vero ars exercentibus se plura retribuit? Quænam verò studentem sibi accipit suavius? Cum offerat accedenti porrigatque ad sumendum, quicquid ille vult. Hæc lautissimè ac prolixissimè hospites accipit.*

Aelianus in Epistolis Rusticis.

Ἀγροίκου βίου πάντα ἄλλα ἐστὶ καλὰ, καὶ δὴ καὶ τὸ ἥμερον τοῦ τρόπου. ἡ γὰρ ἡσυχία καὶ τὸ ἄγαν σχολῇ τοῖς τῆς γῆς καλῷ πραότητα ἐνεργάζεται *Cum alia sunt vitæ rusticæ commoda plura, tum mansuetudo ingenii, morumque. Ocium enim illud ruris-que colendi studium gignit placidam laudabilemq; lenitatem.*

Ibidem.

Ibidem.

Φύεται μὲν ἐν τοῖς ἀγροῖς καλὰ πάντα, κεκόσμηται τε ἡ γῆ τούτοις καὶ τρέφει πάντας. καὶ τὰ μέν ἐστι τῶν καρπῶν διετήσια, τὰ δὲ καὶ πρὸς ὀλίγον ἀνέχοντά ἐστι πρωκτὰ ὡραῖα. πάντων δὲ τούτων θεοὶ μὲν ποιηταί, ἡ γῆ δὲ μήτηρ ἅμα καὶ τροφὸς ἄρχει. Φύεται δὲ καὶ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη, καὶ ταῦτα ἐν τοῖς ἀγροῖς δένδρων τὰ κάλλιστα καρπῶν τὰ χρησιμώτατα. Μὴ τοίνυν γεωργῶν καταφρόνει. ἔστι γάρ τις καὶ ἐν τούτῳ σοφία, γλώττῃ μὲν ἀπεσκιλμένη ἀδὲ καλλωπιζομένη λόγων δυνάμει. σιγῶσα δὲ εὖ μάλα, καὶ δι' αὐτῆς τοῦ βίου τὴν ἀρετὴν ὁμολογοῦσα. *Nascuntur quidem ruri bona omnia: quibus ornata est tellus, atque iisdem cunctos alit atque sustentat. Sunt autem ex fructibus quidam annui, quidam statim esui apti, nec diu durantes. Horum autem omnium* DEI *habentur architecti & autores. Tellus autem mater simul est & nutrix. Viget ibidem quoque justicia & temperantia,* FRVCTVS OPTIMI *multoque meliores & præstantiores arborum aliis quibusvis fructibus. Quapropter noli rusti-*

ruſticos contemnere. Ineſt enim illis quoque aliqua ſapientia, non quidem lingua varia vel comta verborum facultate prædita: ſed potius tacita, & per ipſam vitam omnem profeſſa virtutem.

Ibidem.

Ἡμεῖς γὲ εἰ καὶ μικρὰ κερδαίνομεν μεγάλα πονοῦντες, ἀλλὰ πολὺ ἡ γῆ τῆς θαλάττης ἐδραιότερον, καὶ ἄν τι πιστότερα, βεβαιοτέρας ἔχει τὰς παρ' ἑαυτῆς ἐλπίδας. *At nobis etſi ex magno labore parum lucri accedit, terra tamen mari multo & ſolidior & fidelior eſt, ſpesque continet in ſe firmiores.*

Idem 6. Politic.

Optimus populus eſt qui terræ colendæ deditus eſt.

Xenophon in Oeconom.

Καλῶς γὲ καὶ ἐκεῖνο εἶπεν, ὃς ἔφη τὴν γεωργίαν τῶν ἄλλων τεχνῶν μητέρα καὶ τροφὸν εἶναι. εὖ μὲν γὰρ φερομένης τῆς γεωργίας, ἔρρωνται καὶ αἱ ἄλλαι τέχναι ἅπασαι. ὅπου δ' ἂν ἀναγκασθῇ ἡ γῆ χερσεύειν, ἀποζέννυνται καὶ

αἱ ἄλλαι τέχναι, χρεὼν ἦν καὶ κῆ γλῶ κὴ κῆ θάλατταν. *id est, Præclare & ille dixit, qui perhibuit agriculturam aliarum artium matrem esse ac nutricem. Agricultura enim procedente prospere alia quoq; artificia firma sunt ac consistunt universa. Ubi vero necessitas solum vastum relinquere cogit, ibi & alia ferè artificia extinguuntur terra marique.*

Aristo. 1. Politic. cap. 4.

Acquirendarum facultatum potiss. ratio in agricultura consistit.

Cato.

Virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumq; colonum. Ampliss. laudari existimabatur, qui ita laudabatur.

Cato de Re rustica, cap 1. & 2.

At ex agricolis & viri fortissimi & milites strenuissimi gignuntur, maximeq; pius quæstus stabilissimusq; cõsequitur, ac minime invidiosus, minimeq; male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt. Idem dicit Vegetius de Re militari, lib. 1. cap. 3.

Varro

Varro in principio lib. 2.

Viri magni nostri majores non sine causa præponebant rusticos Romanos urbanis, ut ruri enim, qui in villa vivunt, ignaviores, quàm qui in agro versantur in aliquo opere faciundo, sic qui in oppido sederent, quàm qui rura colerent, desidiosiores putabant.

Idem initio lib. 3.

Cum artes omnes dicantur in Græcia intra mille annorum tempora reperta, agri nunquam non fuerunt in terris, qui coli possint. Neque solum antiquior cultura agri, sed etiam melior. Itaque non sine causa majores nostri ex urbe in agros redigebant cives suos, qp & in pace à rusticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur. Nec sine caussa terram eandem appellabant matrem & Cererem, & qui eam colerent, piam & utilem agere vitam credebant, atque eos solos reliquias esse ex stirpe Saturni Regis.

Vitruvius de Architectura in præfat. lib. 2.

Ut enim natus infans sine nutricis

lacte non potest ali, neque ad vitæ crescentis gradus perduci : sic civitas sine agris & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non potest crescere : nec sine abundantia cibi frequentiam habere, populumque sine copia tueri.

Cicero in Catone.

Agricolarum vita proximè ad sapientiam accedit, ut quæ commercium habeat cum terra, quæ nunquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit quod accepit.

Columell. lib. 1. cap. 1.

Agricultura sine dubitatione proxima est & quasi cõsanguinea sapiẽtiæ.

Plutarch. in vita Caton.

M. Cato Censorius duobus generibus quæstus se usum tantum dixit, agricultura & parsimonia.

Virg. in Georg.

O fortunatos nimium, bona si sua norint,
Agricolas, quibus procul civilibus armis
Fundit humo facilem tellus justissima victum.

Hora-

Horatius.

Beatus ille, qui procul negociis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore &c.

Idem lib. 1. Epist.

-- Vivere naturæ si convenienter oportet,
Ponendæq; domo quęrẽda est area primũ,
Novisti ne locum potiorem rure beato?
Est ubi plus tepeant hyemes? ubi gratior aura
Leniat & rabiem canis, & momẽta leonis,
Cum semel accepit solẽ furibundus acutũ?
Est ubi divellat somnos minº invida cura?
Deterius lybicis olet, aut nitet herba lapillis,
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum
Quam quę per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nẽpe inter varias nutritur sylva columnas
Laudaturque domus, longos quæ prospicit agros.

Seneca in Hyppolyto.

Non alia magis est libera & vitio carens,
Ritusque meliùs vita quæ priscos colat,
Quam quæ relictis mœnibus sylvas amat
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui se dicavit montium insontem jugis,

Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non pestilens invidia, non fragilis favor,
Non ille regno servit, aut regno imminens
Vanos honores sequitur, aut fluxas opes,
Spei metusque liber. ——

Franciscus Patricius Senens. Episcopus, de Repub.

Agricultura sola est, cui ingenui & excellentes viri admoveri debent, tum propter vitæ necessitatem, cum sine ea neutiquam vivere possimus, tum etiam quod quæstum nobis honestiss. & sine fallacia ac mendacio præbet. Certe robusti magis & longe melioris valetudinis juvenes in agris fiunt quàm in civitatibus, in quibus somno & libidinibus indulgentes, imbecilles redduntur, malæq; valetudinis. Non igitur admirandũ est, si in agris obduratos juvenes Romani extulerint, cum imperium orbis terrarum, non ignavia & desidia, sed robore & fortitudine quæsierint. Nos autem Agriculturam quasi sordidum quæstum fugimus, & agricolas ludibrio habemus, Eosq; tanquam servos aut ad perpetuum laborem addictos contemnimus,

mus, pluriśq; mercium ac pigmentorum institores vel cocos aut sartores facimus, quàm optimum quenquam agricolam &c. & paulò pòst. Hesiodus & Homerus instrumentum rei Rusticæ & agricolarum magis probaverunt, quàm bellatorum ac rei bellicæ. Illud enim mortalibus vitam ac felicitatem pollicetur, hoc autem mortem & miseriam affert.

Plinius lib. 6. Epistol.

Veteres Ruris secessum, senectutis suæ nidulum appellabant, ut Ruffus Vergonius villam suam Asiensem.

OFFICIVM BONI AGRICOLÆ & Patrisfamiliâs.

Xenoph. in Oeconom.

Ἐυ γὰρ ἴσθι, ὅτι οἱ σώφρονες καὶ ὑπὲρ ὑγρῶν καὶ ξηρῶν καρπῶν, καὶ βοῶν, καὶ ἵππων καὶ ποδάτων, καὶ ὑπὲρ πάντων γε δὴ τῶν κτημάτων, τὸν θεὸν θεραπεύουσιν. *Hoc plane scias, eos qui frugi sunt, tam pro aridis, quàm humidis fructibus, pro bobus, equis, pecore, denique omnibus facultatibus suis, venerari* DEVM.

Idem.

Ὅτι παραπλήσια ἔργα ἐστὶ νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ. *Quod similia sint opera boni pastoris & boni Regis.*

Plinius lib.18.cap.2.

Romani ne degustabant quidem novas fruges aut vina, antequam sacerdotes primitias libassent.

Cicero pro Rosc.Amerino.

Majores nostri suos agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant.

Aelianus in Epistolis Rusticis.

Μήπω τοσούτης κακίας ἀναπλησθείη γεωργῶν ἤδη, ζηλοτυπεῖν τε εἰς πλοῦτον, καὶ ὑπὲρ χρημάτων φρονεῖν. εἰς ἀγρίας ταῦτα τραπείη, καὶ εἰς τὰς ἐν δικαστηρίοις ῥήτορες. *Absit procul, ut hoc vitio Agricolarũ animi scateant, ut scilicet zelo quopiam divitiarum agitentur, & de pecunijs parandis sint soliciti. In feras istæc facessant, & forenses rabulas.*

Columell. lib.1.cap.3.

Ne major ager, quàm patiatur calculi ratio, ematur.

Virg.

Virg.

Laudato ingentia rura. Exiguum colito.

Palladius.

Fœcundior est culta exiguitas, quàm magnitudo neglecta.

Columell. lib. 1.

Ubi sedulò colitur ager, plerunque compendium, nunquam, nisi cœli major vis aut prædonis incessit, detrimentum affert.

Ibidem.

Qui studium agricolationi dederit, antiquissima hæc sciat sibi advocanda, prudentiam rei, facultatem impendendi, voluntatem agendi.

Plinius lib. 18. cap. 3.

Agrum male colere censorium probrum judicabant, atque, ut refert Cato, quem virum bonum colonum dixissent, amplissime laudasse existimabant.

Ibidem.

Ipsorum tunc manibus imperatorum colebãtur agri, (ut fas est credere) gau-

dente terra vomere laureato, & triumphali aratore, sive illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eademque diligentia arva disponebant, qua castra, sive honestis manibus omnia lætius proveniunt, quoniam & curiosius fiunt.

Ibidem.

Nihil sero in Agricultura faciendum omnes censent.

Xenoph. in Oeconom.

Καὶ τ' ἄλλα μοι δοκεῖ δεατότε ὀφθαλμὸν τὰ καλά τε καὶ ἀγαθὰ μάλιστα ἐργάζεσθαι.

Aristoteles 1. Oeconom. c. 6.

Opportunumq; erit dictum tam Persæ quàm Afri. Ille enim interrogatus, quid equi max. pinguem efficeret, Domini, inquit, oculus. At Afer interrogatus, quale stercus esset optimũ, Domini, inquit, vestigia. Idem dicit Xenoph. in Oeconom.

Plinius.

Non mentiuntur ii, qui dicunt, frontem Domini plus prodesse quàm occipitium.

Cato.

Cato. Columella.

Paterfamiliâs ita habitare debet, ut frequenter rus veniat, Frons enim occipitio prior est.

L. Pomponius citante Nonio in verbo Villicari.

Longe ab urbe villicari quo herus rarenter venit, non villicari sed dominari est mea sententia.

Aristoteles in Oeconom.

Idem salubritati consulat familiæ, ægrotos curet, non ejiciat.

Aristotel. Oeconom. 1 cap. 6.

Prius decet Dominum expergisci, quàm servos, & posterius ire cubitum.

Columell. lib. 11. cap. 1.

Agricolationis caput est, fecisse quicquid exegerit ratio.

Symmachus lib. 6. Epist. 71.

Non est bonus paterfamiliâs, qui frequentationem soliditati anteponit, & cui antiquior videtur celeritas utendi, quam securitas succedentium.

Plato in Entyphrone.

Ὀρθῶς γάρ ἐστιν τῶν νέων πρῶτον ἐπιμε-

ληθῶαι

λητέων ὅπως ἔσονται ὅλη ἄριστοι, ὅσπερ γεωργὸν ἀγαθὸν τῶν νέων φυτῶν, εἰκὸς πρῶτον ἐπιμελητέων. *Consentaneum enim est primũ de ipsis juvenib. curam suscipere ut quàm optimi evadant: quemadmodum decet agricolam novellarũ plantarum primam curam gerere, tum vero de cæteris curandis rationes inire.*

Columell. cap. 11. lib. 1.

Nam diligentem patremfamiliâs decet agri sui particulas omnes, & omni tempore anni frequentius circumire, quo prudentius naturam soli, sive in frõdibus & herbis, sive jam maturis frugibus contempletur, nec ignoret, quicquid in eo rectè fieri poterit.

Columell. lib. 11. cap. 1.

Prælabentis vero tẽporis fuga quàm sit irreparabilis, quis dubitet?

Xenoph. in Oeconom.

Ruri, sicuti in urbe, singula opera sua habent peculiaria tempora.

Cato. 5.

Res rustica sic est, si unum sero feceris, omnia opera sero facies.

Colu-

Columell. lib.11.cap.1.

Res est agrestis insidiosiss. cunctanti, quod ipsum expressius vetustissimus autor Hesiodus hoc versu significavit,

Ἀεὶ δ' ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄπαγι παλαίῃ.

Plinius lib.18. cap.6.

Malum patremfamiliâs (esse) quisquis interdiu fecerit, quod noctu possit, nisi intempestate cœli. Pejorem, qui profestis diebus egerit, quod feriatis deberet. Pessimum, qui sereno die sub tecto potius operaretur, quàm in agro.

Palladius lib.1.cap.6.

Necessitas feriis caret.

Virg.Georg.

Sępe etiam festis quędam exercere diebus,
Fas & rura sinunt &c.

Cato.11.

Patremfamiliâs non emacĕ, sed vendacem esse oportet. Vendat boves vetulos: armenta rejicula, oves rejiculas, lanam, pelles, plostrum vetus, ferramenta vetera, servum senem &c.

Plinius lib.18. cap.6.

Nequam esse agricolam, quisquis emeret,

emeret, quod præstare ei fundus posset.

Plinius lib.17.cap.12.

Nihil fœdius agricolis, quàm gestæ rei pœnitentia.

Xenoph. Item Columell. lib. 11. cap. 1.

Curandum magis, ne peccetur, quàm, cum peccatur, sero puniatur.

Symmachus lib. 6. Epist. 71.

Par sumtus est, semel solida collocare, & sæpe integrare cadentia.

Xenoph. in Oeconom.

Ordine nihil cum in aliis rebus, tum in Agricultura utilius, nihil magis præclarum. ἔστι δ' οὐδὲν οὕτως εὐχρηστον οὔτε καλὸν ἀνθρώποις ὡς ἡ τάξις.

Columell. lib. 4. cap. 3.

In omni genere impensarum (sicuti ait Græcinus) plærique nova opera fortius auspicantur, quam tuentur perfecta.

Columell. lib. 1. cap. 8.

Nam cum multum prodest perite quid facere, tum plus obest perperam feciſ-

feciſſe. Vnum enim & ſolum dominatur in ruſticatione, quicquid exigit ratio culturæ, ſemel facere, quippe cum emendatur, vel imprudentia vel negligentia, jam res ipſa decoxit.

Columell. lib. 12. cap. 11.

Vetus proverbium eſt, paupertatem certiß. eſſe, cum alicuius indigeas, uti eo non poſſe, quia ignoretur, ubi projectum jaceat, quod deſideratur. Itaque in re familiari laborioſior eſt negligentia quàm diligentia.

Xenoph. lib. 1. de Cyri disciplina.

Vt agricolam ocioſum ac inertem, ita imperatorem ſimilem nulli uſui eſſe.

Xenoph. in Oeconom.

Ajunt ei, qui bonus agricola futurus ſit, ante omnia ſoli naturam, & ingenium notum eſſe oportere.

Patricius Senenſis Epiſcopus lib. 6. de inſtit. Reipub.

Qui fundum bene colere vult, urbanas ædes vendat. Nam cui magis ſit cordi urbanum, quàm ruſticum domicilium

lium habitare, agro neutiquam indiget. Male enim civiles curas exercere potest, qui rusticari gaudet. Alterum siquidem ut negligat opus est, qui utrumque munus implere vult.

VILLICI, COLONI, ET aliorum similium officium.

Xenoph. in Oeconom.

Τὸν ἂν μέλλοντα ἐὺ γεωργήσειν, δεῖ τοὺς ἐργαζομένους καὶ προθύμους παρασκευάζειν, καὶ πειθεσθαι θέλοντας, *id est, Qui igitur in agricultura recte versaturus est, eum oportet operarios eos præparare, qui & animo promto sint & velint obedire.* Vnde idem autor sparsim in eodem libro, inquit, quatuor in villico requiri, ut sit benevolus, diligens, imperio aptus & doctus.

Columell. lib. 11. cap. 1.

In universa porro villicatione, sicuti in cætera vita, pretiosiss. est intelligere quenquam nescire se quod nesciat, semperq; cupere, quod ignoret, addiscere.

Varro

Varro lib. 1. cap. 17.

Qui præsint, literis sint & aliqua humanitate imbuti, frugi, rerum rusticarum periti, ætate majore quàm operarii.

Columell. lib. 1. cap. 8.

Potest etiam illiteratus, dummodo sit tenacissimæ memoriæ, rem satis commodè administrare. Eiusmodi villicus, ut Cornelius Celsus ait, sæpius nummos Domino quàm librum afferre solet.

Ibidem.

Villicus non negocietur sibi, pecuniamque Domini aut animalibus, aut rebus aliis promercalibus occupet. Hæc enim negociatio eum avocat, nec unquam patitur eum cum rationibus domini paria facere, sed ubi numeratio exigetur, rem pro nummis ostendet.

Columella ibidem.

Eligendus est rusticis operibus ab infante duratus, & inspectus experimentis. Si tamen is non erit, de iis præficiatur, qui servitutem laboriosam toleraverunt.

Florent. apud Cassianum Bassum.

Δεῖ τὸν ἐφεσῶτα ἐφημέριδα τῶν ἐργῶν ἔχειν, καὶ πῶς ἀνὰ τὸν ποσότητα τάξις τῶν ἐργατῶν ποιεῖσθαι. *Oportet villicum habere operum Ephemeridem sive diarium, & quomodo operariorum sint faciendi ordines.*

Cat. & Columell. lib. II. cap. I.

Male agitur cum Domino, quem villicus docet.

Columella.

Villicus ambulator (quod ait Cato) esse non debet, nec egredi terminos, nisi ut addiscat aliquam culturam, & hoc, si ita in vicino est, ut cito remeare possit.

Cato 5.

Primus è lecto surgat, alios excitet, postremus cubitum eat, prius videat villam ut clausa sit, utque quisque suo loco cubet, jumenta pabulum habeant.

Columell. lib. II. cap. I.

Somni & vini sit abstinentiss. quæ utraque sunt inimiciss. diligentiæ. Nam & ebrio-

& ebrioso cura officii pariter cum memoria subtrahitur, & somniculoso plurima effugiunt. Tum etiam sit à venereis cogitationibus aversus, quibus si se dediderit, non aliud quicquam possit cogitare quàm illud quod diligit.

Ibidem.

Villicus convictum externum vitet.

Cato 5.

Ne plus censeat se sapere quàm dominum.

Ibidem.

Disciplina bona utitor. Alieno abstineat.

Varro lib. 1. cap. 16.

Ne quis injussu villici exeat, neque villicus injussu Domini longius quàm ut eodem die redeat, neque id crebrius, quàm opus sit fundo.

Columella.

Ne crudelius cum subjectis aut submissius agat, semper honoret bonos & sedulos, parcat etiam minus probis, & ita temperet, ut magis revereantur eius se-

veritatem, quàm ut sævitiam detestentur.

Varro lib.1.cap.13.

Villici proxime januam cellam esse oportet, eumque scire, qui introeat aut exeat noctu, quídve ferat, præsertim si ostiarius est nemo.

Columella.

Opus avarius quàm pensio à colonis exigenda.

Idem lib.1. cap.7.

Felicis fundus, qui colonos indigenas habet.

Ibidem.

Pejor colonus urbanus, qui per familiam mavult agrum, quàm per se colere. Saserna dicebat, ab eiusmodi homine ferè litem pro mercede reddi.

Ibidem.

Non agendum cum colonis summo jure, Nam summum jus antiqui summam putabant crucem.

Palladius lib.1.cap.6.

Domino vel colono confinia possidenti, qui

ti, qui fundum vel agrum ſuum locat, damnis ſuis ac litibus ſtudet.

Ariſtotel. Oeconom. lib. 1. cap. 5.

Servos neque petulantes neque abjectos eſſe ſinat.

Varro lib. 1. cap. 17.

Mancipia eſſe oportet neque formidoloſa, neque animoſa, neque eiusdem nationis plura.

Columell. lib. 11. cap. 1.

Præferenda unius agilis atque induſtria, quàm decem hominum negligens & tarda opera.

Cato 5.

Litibus familia ſuperſedeat.

Plato 8. de Legib.

Τὸ γὰρ μὴ τᾶτο, βλάβας πολλὰς καὶ ζημίας μικρὰς πόνων γιγνόμενας, διὰ τὸ θαμίζειν, ἔχθρας ὄγκον μέγαν ἐντίκτουσι, χαλεπὸν καὶ ζόδρα πικρὰν πανίαν ἀπεργάζονται. διὸ χρὴ πάντως ἐν λαβεῖσθαι, γείτονα γείτονι μηδὲν ποιεῖν διάφορον τῶν τε ἄλλων πέρι καὶ δὴ καὶ ὑπερβασίας ξυμπάσης, ζόδρα ἂν διαλαβόμενον. τὸ μὲν γὰρ βλάπτειν, ἐδὲν χα-

λεπὸν, ἀλλ' ἀνθρώπε πάνυ. τὸ δ' ὀπωφελεῖν, ὀδαμῆ ἄπαν. *Multa vero & exigua damna quidem, quod frequenter fiant, magnos inter vicinos pariunt simultatum quasi molem & turbam: ac proinde difficilem amaramq; viciniam reddunt. Itaque vicinus etiam atque etiam cavere debet, ne controversiæ rixæq; occasionem ferat, & cum aliis omnibus in rebus, tum vero maxime in universa agrorum cultura id vehementißime aversetur. Nocere enim haud difficile est: at utilitatem afferre & bene de aliis mereri, non est sane cujuslibet.*

Cato 5.

Familiæ ut bene sit: provideto, ne algeat, ne esuriat.

Aristotel. Oeconom. lib. 1. cap. 5.

Ante omnia servi probi sunt parandi. Horum genera duo sunt, procurator & operarius.

Ibidem.

Tria servis tribuenda, opus, animadversio, cibus. Si cibus suppetat sine

opere

opere & animadversione, ita petulantia innascitur. Inter opera vero & animadversionem, cibum non habere, & injustum atque violentum est, & elidit frangitq; vires.

Ibidem.

Quod verò in aliis accidit, ut deteriores fiant, si non melioribus melius, neque præmia virtutis atque vitiorum proposita sint, idem contingit in famulis. Quâmobrem consideratio adhibenda est, distribuenturq; & remittentur singula pro eo ac illi merebuntur, cibus, vestes, ocium, animadversio.

Syracides cap. 33.

Pabula & virga ac onera asino, panis & disciplina & opera servo.

Ibidem.

Conjicito hunc in operas, ne sit ociosus. Plurima enim vitia docet ocium.

Aristotel. in Oeconom. 1. cap. 5.

Quoniam vini potu etiam liberi petulantes effici solent, & in multis gentibus hoc liberi quoq; homines abstinent:

ut in castris Carthaginienses, patet quòd servis vel vini nihil, vel per quàm parum contribuendum sit.

Ibidem.

Ad opera facienda servorum natio maxime opportuna est ea, quæ neque ignava nec nimis fortis sit. Ambæ enim hæ injustæ & improbæ sunt. Nam nimis ignavi nihil tolerant, & animosi difficulter reguntur.

Ibidem.

Non parabuntur multi servi populares simul.

Cato. 1.

Operariorum copia sit pro ratione fundi.

Ἥττον βλάπτει ῥάθυμος κλέπτης ἢ ῥάθυμος δοῦλος.

Minus nocet piger fur quàm servus piger.

Varro lib. 1. cap. 17.

Gravia loca melius est mercenariis colere quàm servis.

Columell. lib. 1. cap. 8.

Nulla est autem amplior nequissimi homi-

hominis custodia, quàm operis exactio, ut justa reddantur, ut villicus semper se repræsentet.

Cato.

Nihil agendo homines male agere discunt.

Columell. lib. 11. cap. 1.

Præstat opere fatigatum servum diem unum aut alterum sub custode requiescere, quàm pressum nimio labore noxam contrahere, atque longo tempore cum jactura operum decumbere.

Plinius lib. 18. cap. 6.

Agrum coli ergastulis pessimum, & quicquid agitur à desperantibus.

PRAEDIVM, FVNDVS, Villa, & similia.

Symmachus lib. 1. Epist. 4.

Nisi properata cura subveniat, quæ ædium fatiscentium senectutem amoliatur: aut pecuniæ postea dispendium cumulatur, aut ruinæ. Nam quisquis hæc opera intermittit, amittit.

Cato 1.

Prædium rusticum bonum cœlum habeat, ne calamitosum siet, solo bono, sua virtute valeat, si poteris, sub radice montis siet, in meridiem spectet, loco salubri, operariorum copia siet, bonumq; aquarium, oppidum validum prope siet, aut mare, aut amnis, qua naves ambulant, aut via bona celebrisq;.

Aristot. lib. 7. Polit. cap. 11. & lib. 1. Oeconom. cap. 6. Vitruvius lib. 8.

Ædes ad incolumitatem eorum, quæ ponuntur, constituendæ, veluti frumenti, vestium, & instrumenti. Nam ad orientem & septentrionem constitutio salubrior, & ad conservandum magis idonea.

Varro lib. 1. cap. 11.

Salubrior pars septentrionalis quàm meridiana, & quæ salubrior, illa fructuosior.

Idem lib. 1. cap. 6.

Montana æstate salubriora, campestria hyeme.

Idem

Idem lib.1.cap.4.

Salubritas, quæ ducitur è cœlo ac terra, non est in nostra potestate, sed in natura. Vt tamen multum sit in nobis, quod graviora quæ sunt, ea diligentia leviora facere possumus.

Palladius lib.1.cap.6.

Viæ malitia æquè & voluptati & utilitati adversa.

Vlpian.lib.1.ff.de Servit.ruſt. prædiorum.

Servitutes prædiorum rusticorum sunt, iter, actus, via, aquæ ductus.

Hesiodus.

Vicinus malus magnum malum, sicuti bonus magnum commodum. Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἄγαθὸς μέγ' ὄνηται.

Cato 3.

Ne villa fundum, neque fundus villam quærat.

Varro.lib.1. cap.2.

Quæ nasci in fundo ac fieri à domesticis poterunt, eorum ne quid ematur.

Columell. lib.1.cap.4.

Fundus sicuti ne fœcundissimi quidem

dem ſoli, cum ſit inſalubris, ita nec effœti, ſi vel ſaluberrimus ſit, parandus.

Symmachus lib. 7. Epiſt. 37.

Natura regionum ſuis meritis, non noſtris quæſtibus æſtimanda eſt.

Varro lib. 1. cap. 11.

Villam neque majorem neque minorem oportet eſſe agro: Cum utrumque ſit contra rem familiarem ac fructum. Majora enim tecta ædificamus pluris, & tuemur ſumtu majore: minora cum ſunt quàm poſtulat fundus, fructus ſolent diſperire.

Ibidem.

Villa ad exortus æquinoctiales poſita eſt aptiſſima, quod æſtate habet umbram, hyeme ſolem.

Cornel. Celſus lib. 1. cap. 2.

Ad ſalubritatem habitandum monet ædificio lucido, perflatum æſtivum, hibernum ſolem habente.

In talem domum extat elegans Epigramma Iuliani lib. 4. Antholog. tit. εἰς οἴκους.

Ὥρῃ ἀναψύχω θέρεος, χὴ χείματι θάλπω,
Τἀλλιπὲς ὡράων ἐξ ἑνὸς οἶκον ἔχων.

Hoc

Hoc est:

Aestatē foveo leni aura, hiememq; calore,
Ex me suppeditans temporibus quod abest.

Varro lib. 1. cap. 11.

Quapropter cum sit sapientis non ubique emere, nec aut ubertatis illecebris, aut delitiarum concinnitate decipi: Sed vere industrii patrisfamiliâs est, quicquid aut emerit, aut acceperit, facere fructuosum atque utile.

Plinius lib. 18. cap. 5.

Prædium ne cupide emas. In Re rustica operæ ne parcas, in agro emendo minime. Quod male emptum est, semper pœnitet. Ex Catone.

AGER, SOLVM, TERRA, prata, arbusta, sylvæ.

Aristot. lib. 2. Politic. cap. 6.

Ager divisus fuit, Hippodami Milesii lege, in partes tres: in sacrū, publicum & privatum. Sacer is definiebatur, unde sacra Diis fierent: publicus, qui bellanti-

lantibus victum suppeditaret; privatus Agricolarum.

Varro lib. 1. cap. 7.

Cato gradatim præponens alium alio agrum meliorem esse dicit in novem discriminibus. Quod sit primus, ubi vineæ esse possint bono vino & multo. Secundus, ubi hortus irriguus. Tertius, ubi salicta. Quartus, ubi oliveta. Quintus, ubi pratum. Sextus, ubi campus frumentarius. Septimus, ubi cædua sylva. Octavus, ubi Arbustum. Nonus, glandaria sylva.

Cato 1.

Ager quamvis quæstuosus, si sumtuosus sit, non multum superest.

Virgil.

—— Laudato ingentia rura:
Exiguum colito. ——

Cicero 2. Tuscul. quæst.

Ager, quantumvis fertilis, sine cultura fructuosus esse non potest.

Cato 1.

In agro præcipuè spectanda salubritas cæ-

tas cæli, & ubertas loci. Columella addit aquæ & vicini rationem.

Varro lib. 5. cap. 4. Columella lib. 1. cap 3.

Vbi salubritas non est, cultura aliud non est, quàm alea domini vitæ ac rei familiaris. Et ubi cum Orco ratio ponenda, ibi non modo fructuum perceptionem, sed & vitam colonorũ dubiam esse, vel potius mortem quæstu certiorem.

Columell. lib. 1. cap. 3.

Imbecilliorem agrum quàm agricolam esse decet, quoniam si sit colluctandum cum eo, si fundus prævaleat, dominum allidi. Non enim dubium, quin minus reddat laxus ager non rite cultus, quàm angustus eximie.

Videtur alludere ad Virgilii locum: Laudato ingentia rura, Exiguum colito.

Plinius lib. 18. cap. 5.

Malus est ager, cum quo Dominus luctatur.

Plinius ibidem.

Certissimus quæstus, si ager bene pascat,

pascat, proximus, si mediocriter pascat, Catonis oraculo. *Summa omnium in hoc spectanda fuit, ut fructus is maxime probaretur, qui quàm minimo impendio constaturus esset.*

Plinius lib.18.cap.6.

Utilissime agri coluntur ex oraculo, malis bonis. Nam cum dicerent malos, intelligere voluerunt vilissimos summũ providentiæ existimantes, ut quàm minimum esset impendii.

Columella lib.1.cap.7.

Ex agro semper plus sua cura redditur quàm coloni.

Palladius lib.5.cap.6.

Tria in agro mala æquè nocent, morbus, vicinus, sterilitas.

Idem lib.1.cap.6.

Qui agrum colit gravem tributis, creditorem patitur, cui sine spe absolutionis astrictus est.

Cicero in Bruto.

Ager, qui multos annos quievit, uberiores ferre fructus solet.

Idem

Idem pro lege Agraria contra Rullum.

Agricola ideo agrum vendere nolebat suum, quia ex eo nullum malum nuncium audisset.

Xenoph. in Oeconom.

Non comparandus ager splendide cultus, sed potius culpa domini neglectus, ut tamen melior cultura reddi possit.

Columella lib. 1. cap. 2.

Procul ab agro suo dissitus, vicinus jacturæ suæ censetur. Nam si frequenter visat, aut visurum se denunciet, villicum & familiam in officio continet.

Plinius lib. 18. cap. 6.

Nihil minus expedire, quàm agrum optime colere.

Quo sermone proverbiali nimium studium colendi indicare voluerunt.

Ibidem.

Bene colere necessarium, optime damnosum, præterquam sobole sua colonóve pascendis.

Varro lib. 1. cap. 6.

Ager campestris segetibus, collinus vineis, sylvis montanus melius cõvenit.

Plinius lib. 17. cap. 2.

Nec arbitror perpetuum quicquam in hoc præcipi posse, ad soli naturam, ad loci ingenium, ad cæli cuiusq; mores dirigenda solertia est.

Ibidem cap. 5.

Cato breviter atque ex suo more vitia determinat, terram cariosam cave, néve plaustro neque pecore impellas.

Virgilius.

Non omnis fert omnia tellus,
Hic segetes, illic veniunt felicius uvæ.

Xenoph. in Oeconom.

Facilius terræ quàm hominis aut equi ingenium cognoscitur.

Palladius lib. 1 cap. 6.

Color terræ non magnopere considerandus, quia bonitatis incertus autor.

Ibidem.

In agro periclitantur interiora, nisi colantur exteriora.

Idem.

Idem ibidem.

Nam quod solum agrestes herbas pulchrè gignit, id & proferre ea quæ conseruntur, pulchrè poterit, si colatur.

Columell. lib. 1. cap. 2.

Agrum pessime mulctari, cuius dominus, quid in eo faciendum sit, non docet.

Varro lib. 1. cap. 7.

Præparatio si qua fit in pratis, ea est, ut defendantur à pastione, si irrigua sunt, ut tempestive irrigentur.

Idem lib. 1. cap. 29.

Prata ineunte vere purganda.

Idem.

Prata inter vernum æquinoctium & Vergilianum exortum defendenda.

Plinius lib. 18. cap. 27.

Pratorum facilima agricolis cura ac minimi dispendii.

Cato cap. 9.

Prata irrigua, si aquam habebis, id potiss. facito, si aquam non habebis, sicca quam plurima facito.

Idem cap. 49.

Cum prata defendes, depurgato, herbasq; malas omnes radicitus effodito.

Idem cap. 7.

Fundum suburbanum arbustũ max. convenit habere: & ligna & virgæ venire possunt, & domino erit, qui utatur. In eodem fundo suum quicquid conseri oportet, arbustoque vitem copulari.

Varro lib. 1. cap. 6.

Sylvæ meliores existimantur esse montanæ.

Idem lib. 1. cap. 17.

Autumno siccis tempestatibus sylvæ excoluntur commodissime.

OPERA VARIA

Rustica.

Plinius lib. 18. cap. 24.

Oraculum magnopere custodiendum, segetem ne defruges, hoc est, ne nimia cultura exhaurias. Ideo Virgilius alternis cessare jubet.

Idem.

Idem.

Ager, si non stercoratur, alget, si nimium stercoratus est, aduritur.

Varro in proœmio lib. 2.

Stercoratio ad fructus terrestres aptissima, maxime si ad id pecus est appositum.

Plinius.

Arare minus quàm verrere, censoria castigatio.

Idem.

In arando Catonis servandum oraculum, primum, Agrum bene colere, secundo, bene arare, tertium, stercorare.

Ibidem.

Satius minus serere & melius arare.

Columell. lib. 2. cap. 4.

Convenit inter peritos Rei rusticæ, non esse arandum, nisi si magnis & subitaneis imbribus, quasi hybernis pluviis terra permaduerit.

Varro lib. 1.

Arationes eo fructuosiores sunt, quo

calidiore terra aratur, itaque inter solstitium & caniculam absolvendæ.

Plinius lib.18.cap.19.

Arator nisi incurvus prævaricatur. Inde translatum hoc crimen in forum. Est enim prævaricari à recto sulco declinare, quod fit nisi arator toto corpore incurvo incumbat aratro.

Columell. lib.2.cap.8.

Prudentes Agricolæ servant, ut quindecim diebus prius quàm bruma conficiatur, totidemq; post eam confectam, neque arent, neque vitem aut arborem putent.

Proverb. Salomon. cap. 20.

Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.

Cicero.

Ut sementem feceris, ita & metes.

Columell. lib.2.cap.7.

Canon est antiquissimus Agriculturæ, in locis frigidis noviſsime, tepidis celerius, calidis ocyſsime serendum.

Frigi-

Frigidis locis autumnalis ſatio celerior fiat, verna verò tardior. Calidis regionibus autumnalis ſatio ſerior fieri poteſt, verna autem maturior.

Omnia, quæ ſeruntur, diebus tepidis melius, quàm ſiccis aut frigidis ſeruntur: nam tepor evocat, frigus includit.

Cato 3.

Ædificare diu agitare oportet, Conſerere non oportet.

Plinius lib. 18. cap. 24.

Sementem feſtinatam ſæpe, ſerotinam ſemper decipere.

Ibidem.

Terram alias plus ſeminis recipere, alias minus, religioſumq; inde primum colonis augurium, cum accipiat avidius, eſurire creditur & comeſſe ſemen.

Xenoph. in Oeconom.

In ſerendo manus congruere debet cum gradu, id eſt, ὁμαλῶς ῥίπτειν.

Creſcentius.

Quæcunque ſerenda ſunt, cum luna

crescit, seminentur, quæ autem secanda vel legenda, cum minuitur.

Columella lib. 11.

Omne frumentum maxime campo patente, & ad solem prono apricoq; & soluto lætatur.

Plinius lib. 18. cap. 30.

Triticum, quo serius metitur, copiosius invenitur, quo celerius vero, eo spinosius & robustius. Lex aptissima, antequam granum indurescat, & cum jam colorem traxerit, messem faciendam. Oraculum vero, biduo celerius potius, quàm triduo serius.

Palladius lib. 1. cap. 6.

Omne triticum uliginosum post tertiam sationem in siliginem permutatur.

Ibidem.

In novo genere seminum ante experimentum non est spes ponenda, locis humidis citius semina quàm siccis degenerant: quare subinde succurret electio.

Plinius lib. 18. cap. 24.

Semen optimum anniculum, bimum deterius,

deterius, trimum peßimum, ultra ßterile: idque optimum quod gravißimum. Quæ florent, tangenda non ßunt.

PASTIO, ET RES pecuaria.

Ariſtoteles.

Ὅλη γὰρ ἡ νομαδικὴ συνῆπται τῇ γεωργίᾳ, *Pecuaria cohæret cum agricultura.*

Varro lib. 2. in proœmio.

Alia ratio ac ſcientia coloni, alia paſtoris. Coloni, ut ea, quæ in Agricultura naſcantur, è terra fructum faciant: Contra paſtoris, ut ea, quæ nata ex pecore.

Varro lib. 2. cap. 1.

Scientia paſtoralis est ſcientia pecoris parādi ac paſcendi, ut fructus quàm poßint maximi capiantur ex ea, à quibus ipſa pecunia nominata est, nam omnis pecuniæ, pecus fundamentum. Ea partes habet novem discretas ter ternas, ut ſit una de minoribus pecudibus, Cuius genera tria, Ovis, Capra, Sus. Altera de majori pecore, in quo ſunt itidem aliæ tres ſpecies natura discretæ, Boves,

Asini, Equi. Tertia pars est in pecuaria, quæ non paratur, ut ex ea fructus capiatur, sed ꝓpter eã, ut muli, canes, pastores. Harum unaquæ ꝫ in se generales partes habet novenas, quarum in pecore parando necessariæ quatuor, alteræ in pascendo totidem : præterea communis una : ita fiunt omnes partes minimum 81. & quidem necessariæ, nec parvæ.

Idem lib. 3. cap. 1.

Duo genera sunt pastionum : unum agreste, in quo pecuaria sunt : alterum villaticũ, in quo sunt gallinæ ac columbæ & apes, & cætera q̃ in villa solẽt pasci. Pastio agrestis nota & nobilis, quod & pecuaria appellatur, & multum homines locupletat, & ob eam rem aut conductos aut emptos habeat saltus. Villatica verò quod humilis videtur, à quibusdam adjecta ad agriculturam, cum esset pastio.

Columell. lib. 6. cap. 1.

Ut in rusticatione antiquissima ratio pascendi eademque quæstuosissima, ita nulla regio, in qua frumẽtum gignitur,

tur, quæ non uti hominum, ita armentorum adjumento juvetur, unde etiam jumenta nomen accepere.

Columell. lib. 1. cap. 3.

In pastione, ut in agro colendo, semper utilius, pauciora habere, eaque bene pascere, quàm plura male pascere.

Varro. lib. 2. cap. 1.

Cognitio formæ uniuscuiusque pecudis, qualis sit, magni interest, cuiusmodi quoque sit ad fructum. Ita potius bovem emunt cornibus nigricantibus quàm albis: capram amplam quàm parvam: sues procero corpore, capitibus ut sint parvis.

Ibidem.

Ad alios morbos aliæ sunt causſæ, etiam alia signa in omni pecore, quæ scripta habere oportet magistrum pecoris.

Cato 4.

Equilia, bubilia, ovilia, porcilia bona beneq; ædificata habeto, bonas præsepes, faliscas habeant clatratas, clatri pede distent, ita pabulum non rejicient.

Plinius

Plinius lib.18.cap.6.

Quicquid per asellum fieri potest, vilissime constat.

Xenoph.in Oeconom.

Equo si indigeat Agricola, hunc ager alat.

Varro lib.2.cap.7.

Equorum & equarum greges qui habere volunt, spectare oportet ne sint minus trimæ, majores decem annorum.

Varro lib.2. cap.8.

Muli & hinni bigemini atque insititii, non suopte genere ab radicibus. Ex equa enim & asino fit mulus. Contra ex equo & asina hinnus.

Varro lib.2.cap.1.

In Bubulo genere nec minor emitur annicula, nec quæ est supra decem annos: quod à bina aut trima fructum ferre incipit, neque longius post decimum annum procedit.

Varro lib.2. cap.4.

Sus ad fœturam quæ sit fœcunda, animad-

animadvertunt fere ex primo partu, quod non multum in reliquis mutet.

Ibidem.

Parere scrofam tot oportet porcos, quot mammas habet: sin minus pariat, fructuariam idoneam non esse, si plures pariat, esse portentum.

Varro lib. 3. cap. 2.

E feris pecudibus primum oves comprehensæ ab hominibus ac mansuefactæ.

Ibidem.

Ita pascere pecus oportet, ut adverso sole agat. Caput enim maxime ovis molle est.

Idem lib. 2. cap. 2.

Inprimis videndum, ut boni seminii pecus habeas. Id ferè ex duabus rebus potest animadverti: ex forma bona & progenie: si agnos procreant formosos.

Idem ibidem.

Providendum ut oves totum annum recte pascantur intus & foris, stabula idoneo loco ut sint: ne ventosa, quæ spectent magis ad orientem quàm ad meridianum tempus.

Varro

Varro lib. 2.cap.1.

Morbosum pecus & vitiosum, & quando non valet, sæpe magna gregem afficit calamitate.

Varro lib.2.cap.3.

Capras sanas sanus nemo promittit, nunquam enim sine febri sunt.

Ibidem.

Satis magnum caprarum gregem putant esse circiter quinquagenas.

Varro lib.2. cap.11.

Vt fructum ovis è lana ad vestimentum, sic capra pilos ministrat ad usum nauticum, & ad bellica tormenta & fabrilia vasa. Pellibus enim quædam nationes vestiuntur.

Varro lib.2.cap.9.

Canes ætate idonei parandi, quòd catuli & vetuli neque sibi nec ovibus præsidio, & feris bestiis nonnunquam prædæ sint.

Cato 2.

Canes interdiu clausos esse oportet, ut noctu vigilantiores & acriores sint.

Varro

Varro lib.3.cap.6.

Nihil columbis fœcundius : itaque diebus quadragenis concipit & parit, & incubat & educat : & hoc ferme totum annum faciunt. Tantummodo intervallum faciunt à bruma ad æquinoctium vernum. Pulli nascuntur bini, qui simulac creverunt & habent robur, cum matribus pariunt.

Varro lib.3. cap.16.

Providendum vehementer, ne propter æstum aut frigus apes dispereant.

Ibidem.

Verno tempore & æstivo fere ter in mense mellarius respicere debet fumigans leviter apes, & à spurcitiis purgare alvum & vermiculos ejicere.

INSTRVMENTA VARIA rustica.

Xenoph. in Oeconom.

Supellex & instrumenta varia rustica, suo quæque loco & ordine disposita, in promtu sint, quoties vel promenda vel requisita seponenda sunt.

Varro

Varro lib.1.cap.22.

Instrumentum & supellectilem rusticam omnem oportet habere scriptam in urbe Dominum, & ruri villicum: atque ea omnia certo suo quaque loco debent esse posita.

Ibidèm.

Quæ enim res quotidie videntur, minus metuunt furem.

Columella lib.11.cap.1.

Per ferias instrumentum rusticum, sine quo nullum opus confici potest, recognoscat, & sæpe inspiciat ferramenta: nam frequens recognitio, nec impunitatis spem, nec peccandi locum præbet.

Columella ibidem.

Duplicia semper comparanda, ac subinde refecta custodienda, ne, si quod in opere vitiatum fuerit, à vicino petendum sit, quia plus in operis servorum avocandis, quàm in precio eiusmodi rerum impenditur. Sic Hesiodus: δοιὰ γ' ἠέδοι ἄρατρα.

Idem.

In omne opere inserendi, putandi, ac reciden-

recidendi, duris & acutis utere instrumentis.

VINEA.

Plinius lib.17.cap.22.

Vinearum quinq; sunt genera, unum sparsis palmitib. humi repens. Alterum pedatū, simplici adminiculo sustentatū. Tertium jugatum. Quartum compluviatum. Quintum arbustinum.

Palladius lib.1. cap.6.

Campi largius vinum, colles nobilius ferunt.

Et Varro lib.1.cap.6.

Vineæ meliores æstimantur esse collinæ.

Vineam in agro quæstuosissimam & primas tenere Cato judicat, secundas horto irriguo tribuit, tertias saliceto, quartas oliveto, quintas prato, sextas campo frumentario, septimas sylvæ cedvæ, octavas arbusto, nonas sylvæ glandiferæ. Varro tamen refert, hos gradus non ubique probari. Nam alicubi ager frumentarius, in alio loco piscinæ vel simile aliquid primas tenet.

Varro lib.1.cap.8.

Vineam sunt qui putent sumtu fructum devorare: sed refert quod genus vineæ sit, quòd sunt multæ species eius.

Columell.lib.4.cap.3.

Sed nos extirpanda vineta censemus, quorũ singula jugera minus quàm ternos culleos præbent (est autem culleus maxima propemodum liquidorum mensura, continens 20. amphoras.)

Columell. lib.4.cap.27.

Sapientis rustici reputare, num majore fructu vitis induerit, quàm ut perferre possit.

Pall.lib.1.cap.6.

Vitem si maturius putes, plura sarmenta, si serius, fructus plures.

Sic Itali dicunt, Ramo curto, vindemia longa. Ramus brevis, vindemia longa.

Idem lib.4. cap.27.

Ad escam non expedit instituere vineta, nisi cùm suburbanus est ager.

Plinius

Plinius lib.18.cap.26.

Exprobratio fœda putantium vites per imitationem cantus alitis, qui vocatur cuculus. Opprobrium enim meritum falcem ab illo volucre in vite deprehendi, ut ob id petulantiæ sales etiam cum primo vere ludantur auspicio tamen detestabilis habetur.

Columella.

Cum vitem putabis, inter duas gemmas secato: nam si juxta ipsam gemmam secueris, laborabit, nec materiem citabit.

Cato.

Vineas arboresq; mature incipias putare.

Idem.

Vitis si macra erit, sermenta sua concidito minute, & ibidem inarato aut fodito.

HORTVS.

Columella lib.10.

Principio sedem numeroso præbeat horto
Pinguis ager, putres glebas, resolutaque terga (nas.
Quæ gerit, & fossus graciles imitatur are-

Atq; habilis natura ſoli, quæ gramine lęto
Parturit, & rutilas ebuli creat uvida baccas &c.

Varro lib. 1. cap. 16.

Sub urbe colere hortum late expedit, ſic violaria & roſaria, item multa quæ urbs recipit, cum eadem in longinquo prædio, ubi non ſit qui deferri poſſit venalia, non expedit colere.

Cicero in Catone majore.

Nec vero ſegetibus ſolum & pratis & vineis & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt, ſed hortis etiam atque pomariis, tum pecudum paſtu, apum examinibus, florum omnium varietate: nec conſitiones modo delectant, ſed inſitiones, quibus nihil invenit agricultura ſolertius.

Ibidem.

Jam hortum ipſi agricolæ ſuccidiam alteram appellant.

Symmachus lib. 8. Epiſt. 68.

Arboribus inſerendis cruda ſenectus fovenda eſt.

Alludit

Alludit ad versum veteris poëtæ, quem refert Cicero in Catone majore.

—— Serunt arbores, quæ alteri seculo prosint.

Plinius lib.19.cap.4.

Hortus villæ jungendus, riguusq; maxime habendus.

Palladius lib.1.

Horti & pomaria domui proxima esse debebunt.

Plinius lib.19. cap.4.

Romani prisci dicebant, nequam esse in domo matremfamilias, ubi indiligens esset hortus, Quippe è carnario aut macello vivendum esse.

Idem.

Horti maxime placebant, qui non egerent igni, parcerentq; ligno. Expeditares & parata semper, unde & acetaria appellata.

Cato.

Si poteris, hortus sub radice montis fiet, in meridiem spectet loco salubri.

Palladius lib. 1. cap. 34.

Felix positio est, cui leniter inclinata planicies cursus aquæ fluentis per spacia discreta derivat.

Plinius lib. 17. cap. 2.

Alioqui vota arborum communia frugumq; sunt, nives diutinas sedere, quãdo nix aquarũ cœlestium spuma est.

Ante hortum quendam Bononiæ.

Vrbs habeat curas, qui me mihi reddit agellus,
Exigit ingravis gaudia mixta jocis.

Ante alium.

Hortule fac placeas, fac hortule dulcis inemtas
Vt fundat Domino libera mensa dapes.

PRIVILEGIA ET IMmunitates Agricolarum.

Strabo lib. 15.

Secundum genus (Indorum) Agricolarum est, qui plurimi sunt & probissimi. Hi ob immunitatem à militia, & securam opus faciendi licentiam, neque urbem nec publicum negotium, nec ullum aliud munus attingunt. Quamobrem

obrem eodem tempore & eodem loco alii pugnant & cum hoste pedem conferunt, alii arant vel fodiunt sine ullo periculo, cum illos propugnatores habeant. Et cum regio tota sit regis, ipsi eam conductam excolunt, pacti mercedis loco quartam fructuum partem. Idem scribit Diodorus Siculus lib. 2.

Stobæus sermone 48. ex Nicolai de gentium moribus Historia.

Phryges tanto studio agriculturæ incumbunt, ut si quis inter ipsos bovem aratorem occiderit, aut instrumentum quoppiam ad agriculturam aptũ furto sustulerit, morte puniatur.

Ierem. cap. 52.

De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzardã princeps militiæ vinitores & agricolas (cũ alios curasset interfici.)

Theodoricus Rex Italiæ apud Cassiodor.

Grave est ut fructu laboris sui fraudetur industrius, & cui debet pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur injustum &c.

De his qui velit, consulere potest libros II. de privilegiis rusticorum Renati Choppini, qui extant.

LEGES REI RVSTICÆ.

Aelianus lib. 5. de varia Historia.

LEx est Athenienſium, Bovem aratorem, qui jugum trahit vel in aratro vel plauſtro, ne mactes, quoniam ille etiam agricola est, & humano generi laborum ſocius.

Lex 12. tabul.

Feriis jurgia amovento: easq; in famulis (operibus patratis) habento. Itaque ut ita cadat in annuis anfractibus deſcriptum eſto. Certasq; fruges, certasq; baccas ſacerdotes publice libanto. Hoc certis ſacrificiis atque diebus. Itemque alios addes. Ubertatem lactis fœturæq; ſervanto. Idque ne committi poſſit ad eam rem & rationem curſus annuos ſacerdotes finiunto.

Palladius.

Ferias conſuetas ſervato.

Lex

Lex 12. tabul.

Qui malum carmen incantaverit, frugésve excantarit, coërcetor.

Deuteron. 18. cap.

Incantatores inter vos ne sint.

Columella lib. 1. cap. 8.

Aruspices sagasq́, quæ utraque genera vana superstitione rudes animos ad impensas, ac deinde ad flagitia impellunt, vitabit Agricola.

Ex leg. 12. tabul. Plinius lib. 18. cap. 2.

Frugem aratro quæsitam furtim noctu si paverit secuerítve pubes suspensus Cereri necator, impubes verberator noxiamq́ duplionémve præstato.

Idem lib. 17. cap. 1.

Fuit & arborum cura priscis legibus, cautumq́ est duodecim tabulis, ut qui injuria cecidisset alienas, lueret in singulas æris 25.

Cajus lib. 1. ad 12. leg. tabul. cap. 2. de arb. furtim cæsis.

Sciendum est eos, qui arbores & ma-

xime vites ceciderint, etiam tanquam latrones puniri.

Varro lib.2.cap.3.

Caprarum dentes inimici sationis. Idcirco in lege locationis fundi excipi solet, ne colonus capra natum in fundo relinquat.

Lex 12.tabul.

Si in tuo alienum pecus pascatur, de pastu pecoris actio esto.

Lex 12. tabul.

Si quadrupes pauperiem fecerit, adversus dominum quadrupedis actio noxalis esto.

Impp.Honorius & Theodosius in l.8.C. Quæres pignori obligari possunt vel non.

Pignorum gratia aliquid, quod ad culturam agri pertinet, auferri non convenit.

Friderici Imp. Constitutio, relata in Authent. Agri cultores. C.eod.tit.

Agri cultores circa rem rusticam occupati,

cupati, dum villis insident, dum agros colunt, securi sint in quacunque parte terrarum, ita ut nullus inveniatur tàm audax, ut personas, boves, & agrorum instrumenta, aut si quid aliud sit, quod ad agrorũ operam rusticam pertineat, invadere aut capere aut violenter auferre præsumat. Si quis autem huiusmodi statutum ausu temerario violare præsumpserit, in quadruplum ablata restituat, & infamiæ notam ipso jure incurrat, imperiali animadversione nihilominus puniendus.

Deuteron. cap. 23.

Cum veneris in agrum proximi, uvas comedere licebit, at non exportabis, & in segetem proximi, manu quidem decerpere licet, at falcem immittere non licet.

Idem Plato ferme habet 8. de legibus, quoad peregrinos, & Justinianus de legibus rusticis.

Levit. 23.

Cum messem absolveris, quod remanet in agro non colliges, sed relinquas pauperi. Pro-

Proverb.11.

Prohibenti frumentum maledicit populus, Benedictio autem super caput vendentis frumentum.

Cajus l.ult. ff.fin.reg.recitat legem Atticam Solonis,cuius hæc est sententia Latinè.

Qui sepem in confinio ponet, terminum ne excedito: qui murum,pedem relinquito, qui domum, pedes duos,qui sepulcrum foveamq́,quantum id profundum erit,qui puteum,passum,qui oleam ficúmve, pedes novem, qui denique alias arbores plantabit, quinque pedes ab alieno loco ponito.

Ex leg.12. tabul. apud Ciceron.1. De legib.

In controversia de finibus quinque pedum usucapio nulla est.

Cajus l. ult.ff.de superfic. & idem in l.7. adeò. §.cum in suo loco. & § §. seqq.D.de acq.rer.dom.

Quicquid solo alieno implantatur, inseritur, aut inædificatur, solo cedit, juxta regulam, superficiem subjecto solo cedere.

Ex

Ex legib.12.tabul.

Eius arboris, quæ in alienum agrum impenderet, circumcidere ramos quindecim pedes altius à terra, jus esto vicino.

Cajus l.adeo quidem. §. ult. ff. de acq. rer. dom. & l.1.ff.de arb.cæde.

Si vicini arbor ita terram pressérit, ut in meum fundum radices egerit, mea efficitur arbor: ratio enim non permittit, ut alterius arbor intelligatur, quàm cuius in fundum radices egerit. Et ideo prope confinium posita arbor, si etiam in vicinum fundum radices egerit, communis est.

Vlpian.cap. 1. de arbor.cædend.

Quæ arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, si per te stat quo minus pedes quindecim à terra altius coërceas, tunc quo minus illi ita coërceat lignaq; sibi habere liceat, vim fieri vetat prætor.

Vlp.lib.1.ff.de arb.cæd.

Quæ arbor ex ædibus tuis in ædes illius impendet, si per te stat quo minus eam

eam adimas, tunc quo minus illi eam arborem adimere sibiq; habere liceat, vim fieri vetat prætor.

Vlp.cap.29.ad legem Aquiliam.

Si arbor in vicini fundum radices porrexit, recidere eas vicinis non licebit, agere autem licebit, non esse jus sicuti lignum protectum immissum habere.

Plinius lib.16. cap.13.

Cautum fuit lege XII.*tabul. Vt glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere.*

Lex 12. tabul. Vlpian. l.1.ff.
de gland. legend.

Glandem, quæ ex illius agro in tuum cadit, quo minus illi tertio quoquo die legere & auferre liceat, vim fieri vetat prætor. Glandis nomine omnes fructus, poma, pyra, nuces, continentur.

Paul.cap.23.de servit.rustic.

Via constitui vel latior octo pedum vel angustior potest, ut tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poterit: alioqui iter erit, non via.

Lex

Lex 12.tabul.

Jussit sive permisit, si via interrupta sit, vel imminuta, ire, agere, per vicini fundum.

Id tamen civiliter intelligendum, quod fieri potest minime incommodo vicini. Balduinus in leges XII. tabul.

Lex 12.tabul.

Viæ latitudo in porrectum octo, in anfractum sedecim pedum esto.

L.3.& 4. de tit.

Qui habet pascendi jus, & haustum atque ad aquam appellendi, is & iter habet.

Cicero in oratione pro Cæcinna.

Lex jubet usum & autoritatem fundi esse biennii.

Deuteron.cap.19.

Non apprehendes terminum proximi tui, quem terminaverunt priores in hæreditate tua.

Proverb.22.

Ne transferas terminum antiquum, quem fecerunt patres tui.

Ibidem

Ibidem cap. 23.

Ne transferas terminum antiquum, & in agrum pupillorum ne introeas. Quia redemtor illorum fortis est, ipse judicabit causſam eorum contra te.

Deuteron. cap. 27.

Maledictus qui transfert terminum proximi ſui, & dicat omnis populus AMEN.

Sic Plato lib 8. de legibus. Μὴ κινείτω γῆς ὅρια, μηδεὶς λίθον ὁρίζοντα φιλίαν καὶ ἔχθραν ἔνορχον παρὰ θεῶν.

Vide ibi plura de legibus Agricolarum, quæ cum ſequentibus conveniunt.

LEGES GEORGICÆ SIVE RVSTICAE IVSTINIANI IMPERATORIS.

RERVM *dominia aut jure naturali, quod jus gentium vocatur, aut jure civili nãciſcimur. Omnia igitur animalia, quæ aëre, mari & terra naſcuntur, ſimulatque ab aliquo capta fuerint, illius eſſe incipiunt. Quod enim nullius eſt, id occupanti conceditur: niſi forte res noſtra ſit, quæ reverti conſueverit.*

Quod in alieno fundo quis fuerit venatus, capientis ſit. Veruntamen Dominus fundi ingredientem fundum alienum venandi gratia prohibere poteſt, donec res ipſa effugiat. Quod verò cæperimus, noſtrum eſt: quod autem oculos noſtros effugerit, aut cuius difficilis eſt perſecutio, noſtrum eſſe deſinit. Unde nec fera vulnerata, niſi capta fuerit, eius erit qui vulneraverit.

Apes cum alveo includimus, ſolum noſtræ fiunt. Favos verò ſi quos effecerint, etiam ex aliena arbore recte exi-

mimus: nisi Dominus fundi, cum viderit nos, ingredi prohibeat. Examen quoque apum, quod ex alveo meo evolaverit, meum est, donec in conspectu meo est, nec eius persecutio difficilis est, alioquin occupantis fit.

Pavonum, columbarum, apum, cervorum, etsi ex consuetudine redire solent, fera est natura. Illa vero, quæ ex consuetudine abire & redire solent, nisi istam consuetudinem servaverint, occupantis fiunt.

Anseres nostros aut gallinas evolantes, si alius lucrandi animo detinuerit, furti pœna tenetur.

Missilium in vulgus splendoris gratia jactatorum, & avium dimissarum, occupans statim fit Dominus.

TITULUS PRIMUS.

DE AGRICOLIS.

1. *AGRICOLAM suos excolentem agros justum esse oportet, nec sulcorum fines transiliendo vicinos fundos usurpare. Si quis autem longius justo fines agri*

agri sui protulerit, agriq; vicini partem aliquam arando interverterit, siquidem in novali id fecerit, novalis culturam deperdit. Si verò seminando longius vagatus fuerit, & sementem & culturam fructuumq; perceptionem irreptor agrorum amittit.

2. Si quis agricola inscio Domino alienum fundum ingressus, eum vel novarit, vel conseverit, nihil consequitor neq; pro cultura, neque pro novatione: neque item fructus percipito pro semente facta: sed nec conjectū in terram granum.

3. Si ante sationis tempus duo agricolæ inter se de agris permutandis convenerint, & altera deinde pars, pœnitentia ducta, à pacto recedere velit, si quidem granum jam sparsum fuerit, recedendi licentia non datur. Si vero satio facta non erit, resilire integrum esto. Si verò autor conventionis retractandæ non novavit, ab altero novatione perfecta, novet & ille, & facultas conventionis revocandæ ei esto.

4. Si duo agricolæ de arvis permutan-

dis convenerint, duobus vel tribus testibus præsentibus, & si ut perpetuo permutatio duret convenerint, voluntas ipsorum durato, & permutatio rata, firma ac inconcussa esto.

5. Si duo agricolæ sive ad tempus sive in perpetuum fundos suos permutarint, & alterius fundi pars curtior, minórve alio fundo inventa fuerit, siquidem id in conventione expressum non est, is qui plus habet, minus habenti æqualem fundum præstato. Si vero id lege conventionis expressum est, nihil præstato.

6. Si quis agricola fundum, de quo in judicio contendit, præter voluntatem eius, qui agrum consevit, ingressus fuerit, & circa publicam judicis autoritatem demessuerit, si quidem juris quid habet, eo excidito. Si vero temere litigavit, in duplum segetis demessæ fructum præstato.

7. Qui alienam sylvam inscio Domino cædit, ea culta & consita nihil ex fructibus percipito.

8. Si divisione facta quis alium in pasti-

pastionibus vel locis læserit, integrum illis esto divisionem rescindere.

9. Si ambigitur inter duo loca vel determino vel agri possessione, auditores cognitionem suam interponunto, eique qui pluribus annis possederit, jus reddunto. Si verò fines antiqui fuerint, antiqua possessio inconcussa esto.

10. Si quis à colono pauperiore quàm qui agrum conserere posset, fundo suscepto, in conventione pactus fuerit de arãdo dunt axat & parte fructuum recipienda, pacta conventa rata sunto. Si verò etiam de satione convenerint, & id pactum servator.

11. Si agricola vineæ aut agri cultura suscepta, conventione habita cum domino acceptoq; arrabone, culturam primitiis immolatis inchoarit, deinde mutato consilio culturam neglexerit, justam agri aut vineæ æstimationem dato, agrumq; vel vineam Dominus recipito.

12. Si agricola alterius agricolæ fundum vepribus ac sentibus horrentem

ingressus, coluerit, per triennium eo fruetur, deinde Domino suo eum restituet.

13. Si colonus, propter inopiam agro colendo impar, in exteris terris vagatus sit atque diffugerit, exactioni publicarum pecuniarum præpositi agri fructus percipiunto: nulla tamen eis licentia concessa vel coloni reversi mulctandi, vel cuiuscunque in ipsum quæstionis exercendæ.

14. Si quando colonus derelicto suo agro aufugerit, ii qui agrum possident, eiusque fructus percipiunt, extraordinaria fisco tributa singulis annis inferant, sin minus, in duplum eorum mulctantor.

15. Si eos, qui agros fœnoris caussa susceperint, ultra septennium fructus eorum percepisse patuerit, judex rationem subducito fructuum, tam temporis anterioris, quàm post septennium decursi, & dimidiam eorum omnium partem in sortem imputato.

16. Si quis, dum iter facit, jumentum invenerit vel luxatis membris, vel penitus

nitus occisum, & misericordia motus id Domino indicarit, Dominus autem indicem quid fraude fecisse suspicetur, de luxatione index jurato, de interitu vero nullus examinator.

17. Nemo alienum colonum receptato: Si quis verò receptarit, agro derelicto eum restituito: & si quid juris in ipsum receptator habeat, eo apud judicem utatur. Si verò id facere contemserit, fisco duodecim argenti libras inferto, duas autem fundi domino: & à judice ita cogitor colonum restituere, cum omni jactura & damno & peculio eius.

18. Si quis bovem ab aliquo operis faciundi gratia acceperit, isq; perierit, auditores cognoscant. Et si quidem in ipso opere, ad quod acceptus erat, perierit, indemnis esto accipiens: Si verò in alio, bovis æstimationem in solidum præstabit.

19. Si quis bovem vel asinum aut aliud quodvis jumentum inscio domino abduxerit, & ad negociationem profectus sit, dato duplum mercedis. Si verò

animal in via mortuum sit, duo pro uno præstato, qualecunque etiam id fuerit.

TITVLVS II.

DE PARTE FRVCTVVM SOLVENDA.

1. SI colonus partiarius, citra voluntatem domini, agro demesso manipulos eius interverterit ceu fur, ab omni fructuum perceptione excludetur.

2. Partiarii coloni pars, novem fasciculi sunto, domini qui dedit, portio unus tantum: qui contra hæc partitionem fecerit, devotus esto.

TITVLVS III.

DE PERCEPTIONE MEDIETATIS FRVCTVVM.

1. SI colonus fundo suscepto sub lege medietatis fructuum percipiendæ debito tempore eum non excoluerit, sed serius granum conjecerit, nihil ex fructibus percipito, quod mendaciis fundi dominum deluserit.

2. Si

2. *Si colonus ab alio quopiam colono inope vineam sub lege medietatis colendam receperit, nec vites, ut oportet, putarit, vel vineam foderit, statumine suffulserit, scrobésve fecerit, nihil ex fructibus percipito.*

3. *Si quis sterili agro sub lege medietatis suscepto, ante tempus arationis pœnitentia ductus, domino agri significarit, agrum ea lege se colere non posse, idq; dominus admonitus, ad animum non revocarit, indemnis esto medietatis partiarius.*

4. *Si quis lege medietatis percipiendæ fundum coloni peregrè profecti colendum susceperit, & postea mutata sentētia eum reliquerit, duplum fructuum percipiendorum dependito.*

TITVLVS IV.

DE FVRTO.

1. *Si quis agricola fodiendi tempore sarculum vel ligonem furto subtraxerit, & postea convictus fuerit, eius nomine pendito per singulos dies à furto*

admisso siliquam unam aut pholas duodecim. Similiter & qui tempore vindemiarum falcem putatoriam, aut tempore messis falcem messoriam, vel tempore lignationis securim interverterit. Atque idem de similibus.

2. Si quis tintinnabulum bovis aut ovis, aut alterius cuiusvis animalis subtraxerit, fueritq; convictus, flagellator ut fur. Si verò & animal disperditum fuerit, fur tintinnabuli id quoque præstato.

3. Si pomariorum custos, in loco cui custodiendo præpositus est, furtum fecisse convictus fuerit, privatus mercede, graves sustineto plagas.

4. Si pastor mercenarius clam Domino oves mulgere, ac lac vendere deprehensus fuerit, flagris cæsus mercede excidito.

5. Deprehensus in furto stipulæ alienæ, in duplum eam restituito.

6. Si quis bovem aut asinum furtu abduxisse convictus fuerit, flagris cæsus in duplum reponito æstimationem, stimúlque

múlque operæ deperditæ damnum præstato.

7. Si quis, dum bovem ex armento abigere parat, hac occasione armentum dispalarit, ut à feris dilaniaretur, luminibus privator.

8. Si qui tempore messis alienum fundum ingrediuntur, ut fasciculos vel spicas vel legumina furentur, plagis affecti vestibus exuuntor.

9. Vineas aut hortos ingressi, siquidem comestionis caussa, extra pœnam indemnes sunto. Si verò furari deprehendantur, plagis inflictis, vestibus spoliantor.

10. Furantes aratrum vel vomerem, vel juga, puniuntor pro numero dierum, ex quo furtum admissum est, per singulos dies pendentes pholas duodecim.

11. Alieni plaustri vel avectores vel exustores, duplam eius æstimationem pendunto.

12. Qui in horreis frumentum furari deprehensus est, prima vice post centum plagas acceptas, Domino furtum passo

damnum

damnum sarcito. Si iterum deprehensus fuerit, post plagas in duplũ damnum rependito, si tertio furtum reiteret, luminibus privator.

13. Qui noctu ex dolio vinum aut oleum furatur, furum pœnis subjicietur.

TITVLVS V.

DE ARMENTARIIS.

1. SI Armentarius bovem acceptum amiserit, nec eodem die, quo amissus est, domino indicarit, se bovem eousque & quidem ita vidisse, quid autem ei acciderit, se ignorare: minime indemnis esto. Si verò indicaverit, à damno liber esto.

2. Si armentarius mane acceptum bovem à Domino, miscuerit reliquo armento, cõtigeritq; eum à lupis interimi, cadaver Domino indicato, & ipsi nihil imputator.

3. Si bos armentario mane à Domino pascendus traditus, à reliquo armento segregatus, in sata vel vineas digressus fuerit, pauperiemq; fecerit, pauperiem

factam

factam præstato armentarius: non tamen mercede sua privator.

4. Si bos armentario ab agricola traditus perierit, in DEI *nomine armentarius jurato, nihil fraude sua ei accidisse, nec se de eius interitu conscium esse, & à damno liber esto.*

5. Si armentarius mane bovem ab agricola integrum & sanum acceperit, contigeritq; vel eum luxari, vel exoculari, jurato se nihil dolo fecisse, & securus à damno esto.

6. Si armentarius, præstito jurejurando de amissione, vel luxatione, vel eluscatione bovis, de perjurio postea convictus fuerit per duos aut tres idoneos fideq; dignos testes, lingua mutilatus, indemnitatem bovis præstato.

7. Si armentarius baculo, quem manu gestabat, vel bovem occiderit, vel membro mutilarit, vel eluscarit, non est extra noxiam, sed damnum præstato. Si verò lapide eum petiverit, à damno liber esto.

TITV-

TITVLVS VI.

DE PAVPERIE QVADRVPEDVM.

1. *Si quis bovem in vinea vel agro vel alio loco pauperiem facientem invenerit, nec eum Domino reddiderit, omne datum in fructibus damnum ab eo exacturus: Sed vel occiderit, vel membro mutilarit, dato bovem pro bove, asinum pro asino, vel ovem pro ove.*

2. *Jumento meo prægnante in tuo loco quem depascebat invento, id abegisti ita ut abortiret: siquidem id percussisti, aut consulto vehementius egisti, lege Aquilia teneris. Qui enim alienum pecus in agro suo aliquid depascēs invenerit, neque includere id, neque vehementius agere debet, sed ut proprium tractare: habet enim actionem contra dominum, pro recuperatione damni, quod verisimiliter accepit.*

3. *Si quis bovem pauperiem facientem deprehenderit, nec domino reddiderit, sed ei vel aures vel caudam amputarit, vel oculos eruerit: non hunc,*

sed

sed alium loco eius sanum ac integrum Dominus recipito.

4. Si quis porcum vel ovem vel canem in pauperie deprehenderit, reddideritq; prima vice domino suo, deinde id rursus fecerit, ac cum restitutione bestiæ de pauperie illata denunciarit, tertio viventem si vel jaculis confixerit, vel cauda mutilarit, indemnis esto.

5. Si bos vineam vel hortum ingressus, vel in vineæ fossam vel horti sepem inciderit, ex eoque sit mortuus, dominus horti vel vineæ à damno immunis esto.

6. Si quis bos aut asinus, in vineam vel hortum irrumpere contendens, palis affixus sit, vineæ aut horti dominus indemnis esto.

7. Si quis, post unam vel alterã pauperiei solutionem, quadrupedem occiderit, neque domino reddiderit, damni accepti præstationem accepturus, quadrupedem occisam præstato.

8. Si quis rusticus bovem alienum in sua vinea pauperiem facientem invenerit, nec domino indicarit, sed quadrupe-

drupedem insectatus eam occiderit, vel mutilarit, vel palo adegerit, præstato eius damnum in solidum.

TITULUS VII.

DE DAMNO.

1. *Si quis demessa fundi sui parte, vicinis fundi partibus nondum demessis, pecora sua eo induxerit, quæ damnũ vicino dederint, vapulato flagris triginta, & damnum datum præstato ei qui id accepit.*

2. *Sic si quis uvis quidem suis perceptis, vicini vero adhuc pendentibus, quadrupedes in vineam induxerit, eaque vicinis damnum dederint, triginta plagis acceptis, damnum rependito ei cui id illatum est.*

3. *Qui nullo jure armenta in alieno pascit, Aquilia tenetur, hoc est, in duplũ.*

4. *Qui diminutiores frumenti aut vini mensuras habent, mensuram veterem perq; manus à majoribus traditam minime usurpantes, sed turpis lucri cupiditate*

piditate contra ſtatuta facientes, ut ſcelerati, duris verberibus afficiuntor.

TITVLVS IIX.

DE CAEDIBVS ANIMALIVM.

1. SI quis in querceto ligna cædens non providerit, ſed lignum delapſum bovem aut aſinum vel quodcunque animal occiderit, aliud æquale præſtato.

2. Si quis, cum arborem putaret, per imprudentiam ex alto ſecuri dejecta alienum pecus occiderit, illud præſtato.

3. Si quis egreſſus pro reductione ſui bovis aut aſini, dum ſuum ſectatur, una cum ipſo alias quadrupedes perſequatur, nec eas cum ſuo coëgerit, ſed eæ dispalatæ perierint, aut à lupis fuerint dilaniatæ, præſtato domino eiusdem æſtimationis bovem vel aſinum. Si vero domino id indicarit, locumque demonſtrarit, allegans ſe quadrupedem aſſequi vel tenere non potuiſſe, indemnis eſto.

4. Si quis inventum in ſylva bovem

mactarit, carnesq; eius sustulerit, manu mutilator.

5. Si quis fructuum servandorum tempore tendiculas collocarit, inque eas canis vel porcus delapsus perierit, dominus earum extra noxiam esto.

TITVLVS IX.

DE PVGNA DVARVM QVADRVPEDVM, ET IMPRESSIONE & damno.

1. Si quadrupes aliam quadrupedem irritarit, concitarit, inque furorem converterit, & ex eo altera earum perierit, vel alii cuidam damnum sit datum ex hac forte commissione sua animalia amittenti, dominus provocantis quadrupedis tenetur.

2. Si duæ quadrupedes commisissent, siquidem ea periisset, quæ aggressa aliam erat, cessat actio. At si invasum perierit, dominus eius adversum dominum provocantis experitur, & aut animal, quod prius impetum fecit, noxæ deditum

tum recipit, aut aliter pro ratione damni accepti ei ſuccurritur.

3. Si committentibus duobus canibus, alterius dominus alteri vel gladio, vel virga, vel lapide plagam inflixerit, eumque ex ea vel exoculari, vel mori, vel periclitari contigerit, noxiam domino ſarcito.

4. Si quis robuſtum aliquem canem in pares efferatiorem habens, eum adverſus imbecilliorẽ irritarit, isq́ ex hac commiſſione vel graviter lædatur, vel moriatur, indemnitatem domino præſtato, duodecim plagis mulctatus.

5. Si quis canem paſtoralem occiderit, idque diſſimularit, & hac occaſione feræ caulam invaſerint, poſtea convictus canem occidiſſe, jacturam gregis cum canis æſtimatione præſtato.

6. Qui canem paſtoralem artificio veneni corruperit, plagis centum vapulato, & duplam canis æſtimationem domino eius rependito, & ſi quid ex hac cauſſa noxiæ gregi acciderit, eam quoque omnem canicida præſtato, ut qui ca-

nem custodem sustulerit. Ut vero prædicta procedant, probetur canem fuisse talem, qui cum feris certare potuerit. Si quis vero imprudenter ac obiter, nulloq; veneno adhibito, eum fortè percusserit, simplicis canis æstimationem duntaxat pendito.

7. Qui alienam quadrupedem quacunque occasione corruperit, convictus indemnitatem domino præstato.

TITVLVS X.

DE ARBORIBVS.

1. Si quis arborem in loco communi satam aluerit, eaque divisione facta in alterius portionem sortito ceciderit, non quidem is dominus arboris habeto: Sed qui eam aluit, dominus eius esto. Quod si ipsius soli dominus queratur injuriam sibi fieri, præstet ipse plantatori aliam arborem, & eam, quæ in suo solo est, salvam retineto.

2. Si arbor in agri consiti parte stet, siquidem hortus vicinus est, cui arboris inumbratione nocetur, dominus ramos

eius

eius putabit. At si hortus non fuerit, rami eius non præciduntor.

3. Si quis citra publicam judicis autoritatem vitem vel aliam arborem quamcunque succiderit, eius qui cum controversiam habebat, ei manus amputantor.

4. Qui frugiferas alterius vites succiderit vel evulserit, damni præstatione illata, manibus mutilator.

5. Qui arbores & maxime vites cecideriut, tanquam latrones puniuntor. Arboris autem appellatione continetur & vitis & hedera, & arundo & salix. Quod autem nondum radices concepit ac fixit, arbor non est. Neque ea arbor videtur, cuius radices exaruerunt, licet adhuc terra contineantur. Quia ea arbor dicitur, quæ radicitus evulsa, plantari iterum potest. Sicuti & arboris appellatione radices oleæ comprehenduntur. Et si plures arborem cecideriut, singuli in solidum conveniuntor.

6. Illud verò nota, non solum eum te-

neri, qui manibus propriis exciderit, sed & qui imperarit servo aut libero, in duplum condemnatur.

TITVLVS XI.

DE INCENDIO.

1. SI quis ad comburendam agri stipulam ignem immiserit, isque ulterius evagatus, vel domos, vel fructiferos agros incenderit, eius nomine non tenetur, nisi id die admodum vẽtoso fecerit.

2. Qui in alterius arundinem ignem immiserit, vel alienas arbores succiderit, cauterio manus eius signator, damniq; dati duplam æstimationem inserto.

3. Qui vineæ sepem incendit, verberibus affectus, manuq; cauteriata notatus, duplum damni rependito.

4. Qui in aream aut acervum manipulorum ignem injiciunt vindictæ hostium cupiditate, comburuntor.

5. Qui in paleæ aut fœni horreum ignem immiserit, iis manus præciduntor.

6. Qui sciens prudénsque acervum frumen-

frumenti, aut horreum vicinum ædibus in urbe incenderit, verberibus affectus, igne comburitor. Si quis verò extra urbem id fecerit, ei manus præciduntor.

TITVLVS XII.
DE SERVIS.

1. *Si quis servus bovem aut arietem, aut porcum in sylva jugularit, dominus eius ea præstabit.*

2. *Si quis servus noctu furtum facturus, ex stabulo pecora abegerit, eaque vel perierint, vel feris prædæ sint facta, ut homicida furcæ affigitor.*

3. *Si servus alicuius sæpius noctu furari, vel gregem abigere consueverit, damnum totum dominus præstabit, ut qui sciverit servũ huic vitio obnoxium: servus autem furca suspenditor.*

4. *Si quis servo, inscio eius domino, pecora pascenda commiserit, isque vel ea vendiderit, vel alio modo deteriora fecerit, & dominus & servus à damno immunes sunto.*

5. *Si domino conscio servus quæcun-*

que pecora recepta absumserit, aut alio quocunque modo perdiderit, servi dominus pecorum domino id damni præstato.

TITVLVS XIII.

DE NOVIS OPERIBVS.

1. *Si colonus in alieno sterili solo domum ædificarit, aut vineam conseverit, & aliquo temporis intervallo pòst soli dominus venerit, non licet ei domum demoliri, aut vineam extirpare: sed locum æquivalentem, ubicunque velit, recipito. Si verò is, qui in alieno ædificavit vel plantavit, locum alium præstare renuerit, tunc domino soli liberum est, vineas quidem eradicare, domum verò destruere.*

2. *Qui in alieno solo vel ædificat, vel plantat, vel serit, vel aliud quid operis facit, eius domino excedito, nec sumtus à se factos recuperato.*

3. *Qui in aliena terra plantat, cum ea & plantarum dominium amittit.*

4. *Qui, nulla judicis autoritate interveniens-*

veniente, domos aliorum destruunt, aut sepes inutiles reddunt, tanquam eorum qui minime in suo sepes vel ædificia extruxerint, manibus præcisis mutilantor.

5. Si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificarit, qui soli dominus est, & ædificii dominus erit, propter regulam, quæ dicit: Ea, quæ solo inædificantur, solo cedere: ita ut soli domino perpetuum quoque materiæ dominium adipiscatur, nec possit is, qui domum ædificavit, ullam de materiæ æstimatione movere actionem.

TITVLVS XIV.

DE MOLIS.

1. SI quis in pago aliquo degens, deprehenderit locum quendam Juris publici idoneum ad molam extruendam, eumq; ipse præoccuparit, deinde post molæ absolutionem agri communitas adversus molæ dominum clamitet, tanquam qui locum publicum ut proprium possideat, solvant ei, qui de communita-

te sunt, justas operis impensas, & participes sociiq; ædificatori sunto.

2. Si divisa agri terra quis in parte, quæ sibi sortitione cessit, locum molæ ædificandæ commodum invenerit, eiusque extructionis curam susceperit, non conceditur alius, quibus sua ex divisione pars obvenit, quicquam de hac mola conqueri.

3. Si aqua ex mola decurrens vel arva consita vel vineas devastet, damnum sarcito molæ dominus: Sin minus, molere desinito.

4. Si domini agrorum, qui sationales sunt, nolint per eos defluere aquam, eius arcendæ potestatem habento.

TITVLVS XV.

DE VI.

1. QVI per vim alterius fundum ingreditur, etsi tam ex propria ipsius factione quàm adversaria quis occisus fuerit, tamẽ ut homicida capite plectitor.

2. Si quis agrum, aut quamvis aliam rem ab alio possessam, ad se pertinere existi-

existimaverit, judicem adito. Ac si alium de vi accusans, rem suam esse non probaverit, meritas pœnas dato. Si vero judiciali cognitione spreta violenter eam invaserit, hactenus quidem possessione excidito: condemnator autem & de vi propriis rebus privatus.

LEGES VILLICÆ.

Romæ extra Flamineam in Vinea Iulii III.

DEO ET LOCI DOMINIS VOLENTIBVS.

HOC in suburbano omnium, si non quot in orbis, at quot in urbis sunt ambitu pulcerrimo, ad honestam potiss. voluptatem facto, honeste voluptuarier cunctis fas honestis esto. Sed ne fortè quis gratis ingratus siet, jussa hæc ante omnia omnes capessunto.

Quò vis quisque ambulato, ubi vis quiescunto, verum hoc citra somnum: circa septa illud.

Passim quidlibet lustranto: ast ne hilum

hilum quidem usquam attingunto, qui secus faxint, quidquámve clepserint aut rapserint, non tam ut honesti moribus, sed ut furtis onusti in crucem pessumam arcentor.

Ollis verò, qui florum, frondium, pomorum, olerum aliquid petierint, villici pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, proque merito cuiusque largiuntor.

Aquam hanc, quod virgo est, ne temeranto: sitimq; fistulis non flumine, poculis, nõ osculo aut volis extinguunto.

Piscium lusu oblectantor, cantu avium mulcentor, at ne quem interturbent, interim cavento.

Signa, statuas, lapides, picturas, & cætera totius operis miracula, quamdiu lubet, obtuentor, dum ne nimio stupore in ea vortantor.

Si cui quid tamen haud ita mirum videbitur, eorũ caussa quæ nemo mirari sat quivit, æquo potius silentio, quàm sermonibus iniquis prætorito.

Dehinc proxumo in templo DEO *gratias*

tias agunto, vitamq; & salutem Julio III. Pont. Max. Balduino eius fratri, & eorum familiæ universæ plurimam & æviternam precantor. Huic autem suburbano speciem atque amplitudinem pulchriorem indies majoremq;, ac in eo quicquid inest, felix faustumq; perpetuum optanto.

Hisce actis valento, & salvi abeunto.

LEGES VILLICÆ SIVE GENIALES, PROPE BONONIAM IN AMOENISSIMO prædio, dicto Casaltula, Foribus inscriptæ.

HANC villulam atque hunc agellum qui animi aut valetudinis caussa

Invisérint, ne voluptas valetudinem, corporisve curatio voluptatem

Corrumpat, neve locus qua sacer est violetur,

Aut qua cultus est deseratur, hasce observanto leges.

DEVM opt. max. proxima in æde primum venerantor.

Quid-

Quidvis postea lustranto, se ut vis exercento, ubivis quiescunto.

Sed hoc citra languorem, cis sudorem illud.

Servorum greges importunorum non modo à pomæriis,

Sed procul ab utroque pomærio interea excluduntor.

Si quos tamen ministerii caussa voluerint, paucos & modestos introducunto.

Qui nec hilum attinguntoinconsultovillico.

Eis abeuntibus pro anni tempore, pro rerum copia & inopia, pro cuiusque persona, flores, frondes, ramusculos, poma, olera, viritim villicus distribuito.

Quos ruris dominus ad prandium cœnámve invitarit, curæ, mœrores, tristiciæ in urbem remittuntor, voluptates honestæ, jocus, hilaritas remanento.

Mensæ eleganter sine luxu ac pompa aprico opacóve loco pro anni tempore parantor.

Dapes solito lautius ac copiosius, sed

ad

ad vitam vivendam, non ad mortem maturandam apparantor.

Pocula, quæ sitim pellant, non quæ hospitem obruant, potantor.

Interim avium concentu & aquarum murmure se oblectanto.

Jis silentibus jopæ, amphiones, Orphei, loquaces compescunto, aures mulcento.

Remotis mensis atque arbitris, suos cuique convivarum manes paulo liberius pasci, seni, juveni, faceto vel ad ineptias usque fas esto.

Si qua licentius poti dixerint, fecerint, ea in urbe aliis narrare, aut omnino in memoria habere fas non esto.

Scorta, scurræ, parasiti, præstigiatores, arioli, ac eiusmodi impurum & profanum genus procul arcentor.

Aleis, latrunculis, scrupulis, talis si qui se oblectare maluerint, nemini tunc vitio id dator, modo fiat modice, ne forte jacturæ dolor in gaudii, cui hic locus à majoribus dicatus est, sedes mœrorem induxerit.

Husce

Hisce actis in eodem sacello DEO *item opt. max. gratias agunto.*

In urbem læti ludibundique abeunto.

Ibidem.

Gaudentum locus hic, procul hinc discedite tristes.

LIPSIANI HORTI LEGES.

In ipso aditu sub persona BIFRONTIS IANI. B. F.

Quisquis es, STA, LEGE, PARE, JANVS *ad hoc limen sic* EDICO.

HORTO *&* HERO *fruendi tibi jus esto.*

Sed illo ad ASPECTVM, *isto ad* SERMONEM.

Nisi OCVLIS, *quicquid heic satum aut natum, ne* LIBATO.

TIRO *esto, manum apud te habeto.*

Si effers ad TACTVM *aut ad* RAPTVM, *Verbo dicam, te efferto.*

Sed ne HERO *usquequaq;* FRVITOR.

Ante SEXTAM *vespertinã ne* ADITO:

Post

Post SEPTIMAM *ne* MANETO.
Horæ aliæ, ad alias illi curas,
Heic cogitat, heic pangit:
Stilus hic est, Abi MVSCA.
Quid si & CAENA? *abi* MVSCA.

SERMONES *etiam ne exlèges.*
JOCARI *licet.*
NARRARE *licet.*
ROGARE *licet.*
Sed nihil SERIVM.
GRATIARVM *hic locus est.*

Si quid AMOENIVS *tamen in* STV-
Inter AMBVLANDVM (DIIS
Dissere, doce, disce.
Et MVSARVM *hic locus est.*

Tu qui SERIOSVS
Tu qui RIXOSVS
EXESTE,
CLVSIVS *ego sum vobis.*

CANIS *præter unam* EMANETO
HECVBA, *præter unam,* EMANETO.

Habes? hoc etiam:
QVOQVÒ TE AGIS, TE VIDEO.

LEGES HORTO PATAVINO inscriptæ.

I. PORTAM *hanc* DECVMANAM *ne pulsato ante diem S. Marci Euangelistæ, ante horam* XXII.

II. *Per* DECVMANAM *ingressus, extra* DECVMANAM *ne declinato.*

III. *In* VIRIDARIO *scapum ne confringito, neve florem decerpito, ne semen fructúmve sustollito, radicem ne effodito.*

IV. *Stirpem pusillam, succrescentemq; ne attrectato, neve areolam conculcato, transilitóve.*

V. VIRIDARII *loca injuria non afficiuntor.*

VI. *Nihil invito* PRAEFECTO *attentato.*

VII. *Qui secus faxit, ære, carcere, exilio multator.*

PRO-

PROVERBIA RVSTICA:

QVAMVIS IN SENTENTIIS QVOQVE NONNVLLA FVErint expoſita.

Apud Suidam ex Simonide.

Ἀεὶ γεωργὸς ἐς νέωτα πλέσι. *De iis dicitur, qui ſpe ducti ſemper ſperabant meliora ſecutura.*

Semper Agricola in annum novum dives. Unde poëta:

Spes alit agricolas.

Syrac. cap. 40.

Χάριν καὶ κάλλος ἐπιθυμήσει ὀφθαλμος, καὶ ὑπερ ἀμφότερα χλόη σπόρε.

Gratiam & formoſitatem concupiſcet oculus, & ultra utraque herba ſatorem.

Syracid. cap. 27.

Γεώργιον ξύλε ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτε,

ἔτως λογισμὸς ἐνθυμήματος ἐν καρδίᾳ ἀνθρώπου. *Agriculturæ operam demonstrat fructus ligni, & similis est cogitatio considerationis in corde hominis.*

Theophrast. de hist. plantar. lib. 8.

Annus producit segetem, non ager. Veruntamen non parum refert, quæ sit regionum ratio. Οὐ τὸ ἔτος φέρει, ἀλλὰ ἄρουρα. Μέγα δὲ καὶ αἱ χῶραι διαφέρουσιν.

Proverb. vulg.

Citò nata citò pereunt. Sic Plaut. in Pseud.

Quasi solstitialis herba paulisper fui.

Repente exortus sum, repente occidi. Vide in meis Emble. de plant. num. 45.

Virgil.

Solum à sole. Vide Emblema meum in centuria prima num. 29.

Non omnis fert omnia Tellus.

Columella.

Serere ne dubites.

Sic Virgil.

Et dubitamus adhuc serere, atque impendere curam?

Suidas.

Suidas.

Ἀγρὸς πηγή. *Agri fons. Ab assidua colonorum in agris vigilantia.*

Plutarch.

Τῇ χειρὶ δεῖ σπείρειν, ἀλλὰ μὴ ὅλῳ τῷ ἡμιλάκῳ.

Manu serendum, non tota corbe.

Gregor. Nazianz.

Ver unicum inter anni partes, unicus inter astra Sol.

Ἓν ἔαρ ἐν ὥραις, εἷς ἥλιος ἐν ἀστράσιν.

Fructibus non stadiis certandum. Κλέπτοις δὲ σταδίοις ἐρίζειν. *Dicitur de loco exili, sed fertili. Sicuti illud carmen, Virgilio ascriptum in Moreto:*

Exiguus spacio, variis sed fertilis herbis.

πρὸς τὸν σωρὸν ἀμᾶσθαι. *Ad acervum metere.*

Columella.

Imbecillior ager quàm agricola esse debet.

Cicero.

Ut sementem facies ita & metes.

Nazianzen. in ὁμιλίᾳ de Natali Christi.

Πονηρῶν σπερμάτων πονηρὰ τὰ γεώργια. *Malorum seminum mala seges.*

Item alterum proverbium: Non metentis, sed serentis.

Sic idem Gregor. Nazianz. in orat. contra Julianum II. ὁ τὸ ἀμήσαντ@ ὁ φείχυς, ἀλλὰ τὸ σπείραντ@. *Et S. Paulus ad Galat. cap. 6. figuratè transtulit ad Eleemosynas. Quicquid seminaverit homo, hoc & metet. Vide Emblem. centuriam num. 78.*

Hesychius.

In agrum servus. εἰς ἄγρον μάνης. *id est, Rusticum opus verna exerceat.*

Erasmus in agiis.

Semper superioris anni proventus melior. ἀεὶ τὰ πέρυσι βελτίω. *De illis dicitur, quibus semper præsentia displicent.*

Idem.

Rosam, quæ præteriit, ne quæras iterũ.

Ne contra bovem optes, id est, ne opta ut citra laborem proveniat seges.

Horat.

Horat.

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Hesiod.

Οὐδ' ἂν βῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γλτων κακὸς εἴη. *Ne bos intereat, vicinus si improbus absit. Vide Columellam lib. 1. & Erasmum in Adagiis.*

Boni pastoris est tondere pecus non deglubere. Sic Alexander Magnusillis respondit, qui suadebant ipsi, ut nimia vectigalia imponeret: καὶ κηπωρὸν μισῶ τὸν ἐκριζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. *Hortulanum odi, qui radicitus excindit olera.*

Bos alienus subinde foras prospectat. Βὸς ἀλλότριος τὰ πολλὰ ἔξω βλέπει.

Aristotel. 7. Moral. ad Eudemum, ex Euripide.

Terra amat imbrem. ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γῆα. *Ita quoque Catullus. Firmat Sol, educat imber.*

Suidas.

Uva opposita uvæ matureſcit. Βότρυς

πρὸς βότρυν πεπάνεται. *De illis qui se aliis exæquare contendunt.*

Sic Juvenalis.

Vvaque conspecta livorem ducit ab uva.

Plutarch.

Μέλας γὰρ ἀνθρώποις ὁ πεπάνεται βότρυς, id est, ἀκτῖσιν. *Neque enim his niger maturus efficitur botrus. De illis qui ob virium defectum non efficiunt quod cupiunt. Erasm. in Adag.*

☞ *Neque mel, neque apes.* Μήτε μέλι, μήτε μελίσσας. *Quod explicatur Mimi sententia: Feras quod lædit, ut, quod prodest, perferas.*

Seneca lib. Epistolarum 11.

Et post malam segetem serendum est.

ITALICA QVÆDAM PROVERBIA ELEGANTISSIMA.

Tarellus, Scriptor Italicus, fol. 13.

Ch' il ſuo campo ara inanzi la vernata, avanza di riccolto la brigata.

Qui agrum ſuum arat ante vernum tempus, copioſa meſſe familiam ditat.

Idem autor fol. 15.

La ſegala nella polverina, & il formento nella pantarina.

Plutarch. in quæſt. Naturalib.

Tritico lutum, hordeo pulverem conſerite.

Auguſtinus Gallus in ſuis Dialog.

Maggio hortulano, aſſai paglia, & poco grano.

Majus hortulanus multum præbet paleæ, at parum grani.

Idem.

Il gelo di Gennaro, il mal tempo di Febraro,

I venti di Marzo, le dolci acque d' Aprile,

Le rugiade di Maggio, il bel mietere di Giugno,

Il buon battere di Luglio, & le tre acque d' Agosto per bona stagione,

Vagliano assai piu che' l carro & gli buoi d' oro del savio Salomone.

Frigus Januarii, Asperum tempus Februarii,

Venti Martii, Aqua dulcis Aprilis,

Ros Maii, Bona messis Junii,

Tritura egregia Julii, Tres pluviæ tempestivæ Augusti,

Longe plus valent quàm currus & boves inaurati sapientis Salomonis.

Hoc proverbium tamen magis Italiæ convenit quàm Germaniæ: ubi serius nonnulla contingunt.

Idem.

Meglio e vendere & pentirsene, che tenere & poi disperarsene. (Proverbium aureis literis scribendum, propter Dardanarios istos avarissimos, qui jam ubique locorum & gentium plurimi reperiuntur.) Satius est vendere & pœni-

pœnitere, quàm retinere ac postea desperare.

Proverb. aliud.

Trisso e quel podere ch' il suo padron non vede.

Malus fundus est, qui suum herum non videt.

Convenit cum Columellæ dicto: Procul ab agro suo dissitus, jacturæ suæ vicinus est.

Col tempo & la paglia si maturano le nespole.

Cum tempore & palea matura fiunt messila.

Indicat proverbium, nihil esse præcipitandum, neque naturæ actiones cogendas, ante tempus.

Germanicum antiquum proverbium.

Der Mertz gantz. Der April im schwantz.
Der Majo neu. Sein alle nicht treu.

Id est,

In toto Martio. In Aprilis fine.
In Maii initio. Nihil est fidi.

PICTV-

PICTVRA HIEROGLYPHICA, EX VETVSTO MARMORE DESVMTA, BONI Agricolæ munus exprimens: Breviter explicata à Ioachimo Ioach. F. Camerario Medico Norimberg.

EDITA *est inter alia antiquitatis monumenta & μονογράμματα elegantißima, quæ formis æneis à ſolerte homine Antonio Lafrerio Sequano Romæ ante aliquot annos ſunt impreſſa, pictura quoque Hieroglyphica admodum ingenioſa, ex vetuſta tabula marmorea deſumta, quæ aſſervatur Romæ in ædibus Octaviani Zeni, prope Theatrum Pompeii & Campum Floræ. Hæc cum de Re ruſtica egregia in ſe præcepta contineat, & Romanus typus nimis brevem illius rei interpretationem præ ſe ferat, ac præterea pictura illa raro apud nos reperiatur, putavi me operæ precium facturum, ſi nõn ſolum iſtius delinea-*

delineationem alteram hanc proponerem, sed aliquam paulò ampliorem interpretationem quoq; adderem. Quemadmodum vero Hebræi arcanas suas sententias, & sacrosanctæ Religionis interpretationes mysticas, non literarum monumentis sine omni discrimine omnibus manifestare voluerunt, sed potius per certam & ordine continuato propagationem, ac vivam vocem parentes filiis, ac hi suis posteris per manus tradere ac communicare studuerunt: unde etiam CABALAM, *id est, depositum, atque hæreditariam, ut ita dicam, acceptationem vocarunt: quam D. Chrysostomus in comment. primæ Epistolæ S. Pauli ad Corinthios ἄγραφα quoque ab ipsis dicta fuisse commemorat: ita hanc consuetudinem imitantes finitimi populi, & potissimum Ægyptii & Indi, longo tempore, præsertim in iis rebus, quæ ad medicamentorũ facultates spectant, eandem observarunt. Veruntamen cum eorum sacerdotes postea deprehenderent, hunc modum instituendi & docẽdi, ob vitam nostram*

noſtram brevem, caducam & fluxam, nimis fore incertum & dubium, paulo̅q; pòſt plane forſitan interiturũ, alium ſtabiliorem & faciliorem excogitare cœperunt, notis ſcilicet quibusdam & figuris, quæ tamen ſatis obſcuræ eſſent, & vix ſine autorum indicatione ab aliis intelligerentur, ſacras ſuas & arcanas hac ratione disciplinas deſcribentes. Et hunc morem adhuc apud Chinenſes, extremæ Aſiæ latiſſ. populos (quos Sinas eſſe apud Ptolemeum docti exiſtimãt, alii ad Seres referunt) vigere, teſtantur recentiores rerum Indicarum ſcriptores. Vnde à Græcis ἱερογλύφικα dicta fuere, id eſt, monumenta quædam ſacra, non uſitatis literarum characteribus expreſſa, ſed per depictas rerum & animalium figuras aliquid ſingulare ſignificantia. Sic enim de illis Lucianus in Hermotimo: Τί γὰρ εἰ μηδὲ γράμματα γράφοιμεν ὅπτι τῶν κληρῶν, ἀλλὰ ἴνα σημεῖα καὶ χαρακτῆρας; ὅια πολλὰ Αἰγύπτιοι γράφουσιν ἀντὶ τῶν γραμμάτων, κιωοκεφάλας ἴνας ὄνους καὶ λεοντοκεφάλας ἀνθρώπους.

Et

Et extat de his libellus Horapollinis, nuper à doctissimo viro Davide Hoëschelio Græcè & Latinè Augustæ Vindelicorum emendatiss. rursum editus. Fuerunt autem proculdubio omnia ita ingeniosè excogitata, & secretioris sapientiæ plena illa Hieroglyphica, continentia in se amplam de variis rebus doctrinam, ut ex aliis quàm peritissimis viris Ægyptiis, qui sacris ferè omnes initiati fuere, veram sententiam, & interpretationem plenam haurire ac consequi difficile fuerit. Quam etiam ob caussam olim doctissimi viri in Ægyptum sese contulerunt, inter quos, ut Diodorus Siculus perhibet, inprimis fuerunt, Orpheus, Musæus, Melampus, Dædalus, Homerus, Lycurgus, Solon, Pythagoras, Plato, Eudoxus, Democrates, Euripides, & plures alii. Hæc eadem ἱερογλυφικὰ, nimirum γράμματα (ut eruditè idem Hoëschelius ad Horapollinem quoque annotavit) αἰγυπτιακὰ vocat. Diodorus Siculus lib. 1. αἱ διοπτικὰ καὶ ἱερὰ, lib. 3. opponens illa τῆς δημωδέσι, quæ δημοτικὰ

Hero-

Herodoto Euterpe. Plinius lib. 36. cap. 8. ait. Etenim sculpturæ illæ effigiésque, quas videmus, Ægyptiæ sunt literæ. Philo lib. 1. de vita Mosis, vocat τὴν Δι' συμβόλων φιλοσοφίαν. Clemens Alexandr. Stromat. 1. & 5. μυστικὴν καὶ τὴν αἰγυπτίων θεολογίαν. Ignorabiles litteras nominat Apuleius lib. 2 Metamorphos. Meminit etiam eorum Plutarchus, & pluribus in locis Cornelius Tacitus lib. 2. Annali. Ammianus Marcellinus lib. 16. Lucanus lib. 3. magicas linguas vocat. Quamvis verò hac quoque in parte vetustatis proverbium istud verum esse constet, Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum: atque ideo eruditis conjecturis quibusdam inprimis opus sit, tamen nonnulla de nostris quoque cogitationibus addentes, & huc assumentes, quæ ab aliis doctis viris sunt tradita, agricolam nostrum breviter quidem & simplici stilo, ut colonum ruri in pulvere & labore versantem, non prolixe atque ornate, quemadmodum Cicero oratorem in luce ac foro & conspectu hominum

num

num apparentem, describere conabimur.

Primum itaque nobis offertur pileatus & ocreatus, habituq; solutiore & viliore discinctus, qualis sane ad æstus solis, imbriumq; injurias, atque alias eiusmodi rusticas molestias sub dio perferendas conveniens esse solet. Ipse vero, facie juvenili, vultu alacri, humeris latis, lacertis torosis, corpore denique robusto (quæ omnia in agricola requiruntur) præditus, uno pede TAVRVM *sive* BOVEM *insistendo & comprimendo conficere conatur, id est, Terram ipsam, suæ industriæ suisq; laboribus potissimum destinatam strenue exercere, & domando sibi quasi obsequentem reddere nititur. Voluerunt autem Ægyptii Hieroglyphice (ut Macrobius expresse tradit) per tauri figuram significare terram, propterea quod animal hoc ad rem rusticam inprimis aptum, atque etiam necessariũ esse constet: idq; etiam sacræ literæ testantur. nam boves pingues in somnio Josephi oblati terræ fertilitatem, maci-*

lenti vero ſterilitatem portendebant. Præterea ex Romanorum nummis antiquis idem quoque colligitur, in quibus nihil illis uſitatius, ſi vel terræ fœcunditatem, & ubertatem, vel rei frumentariæ copiam, aut coloniarum ac municipiorum deductiones, aut agrorum deſignationes & diviſiones indicare volebant. Ælianus quoque lib. 11. variæ hiſtoriæ cap. 53. hoc animal πάγχρηστον καὶ ἀνθρώποις λυσιτελέστατον εἰς γεωργίας κοινωνίαν, *id eſt, maximi uſus & hominibus utiliſſimum eſſe ad agriculturæ exercitationem, dicit. Sic Varro lib. 2. cap. 5. vocat ſocium hominum in opere ruſtico, & Cereris miniſtrum. Aitq; ab eo antiquos ita abſtineri voluiſſe, ut capite ſanxerint, ſi quis talem occidiſſet.*

Huius coloni manu ſiniſtra os bovis compræhenditur: dextera verò GLADIOLVM *ſive cultrum in eius corpus magna vi adigit: qua re conatus ruſticos, & in colendo, & tractando ſolo, tanquam ſubjecto proprio, agricolarum labores aſſiduos deſignare voluerunt.*

Unde

Vnde etiam Ovidius eleganter cecinit,

Fertilis, aſsiduo ſi non renovetur aratro,
Nil niſi cũ ſpinis gramen habebit ager.

Et Horatius inquit:

Nil ſine magno
Vita labore dedit mortalibus.

Ex ſauciato vero corpore quaſi CRVOR *emanat, id eſt, ex terra diligenter ſubacta ac ſæpius proſciſſa, ac quaſi vulnerata crebra ſubactione & aratione, fructus uberes & ad ſuſtentandam vitam neceſſarii enaſcuntur. Qui intra corpus aſſumti, ſi nutrimentum cõveniens præbere nobis debent, prius in ſanguinẽm quoque & ſuccum convertendi ſunt.*

Poſt ipſum SPICAE *duplicatæ apponuntur: quibus admonemur, frugum convenientem copiam, & commeatum neceſſarium diligenti colono ſemper in promtu eſſe debere, ne (quod dicit breviter & eleganter M. Varro) ſumtus fructum ſuperet. Fuere olim quoque ſpicæ ſymbolum Ædilium, qui rei frumentariæ Romæ præeſſe ſolebant, & Cornucopiæ, Cereris, Annonæ, proventus boni,*

ubertatis, regionis fertilis, pacis denique notis in antiquis nummis adduntur. Spicam vero à ſpe deduci, idem Varro tradit lib. 1. de Re ruſtica.

Cum vero omnium fructuum, quos terra nobis ſuppeditat: atque agriculturæ beneficio conſequimur, proventu lucis tenebrarumq; alternis vicibus creentur, & producantur, atque denique colligantur, Eam ob cauſſam ante Colonum ARBOR DIVRNA *adhuc arida, & ſterilis, una cum capite bovis & face ardente ponitur, quibus omnibus, incrementi diurni atque uniuscuiusq; diei diligentem inprimis eſſe habendam rationem, indicatur. Cætera nonnihil ſunt, ut verum fatear, obſcuriora. Ex adverſo* ARBOR NOCTVRNA *pomis plena & vireſcens apparet, cui additur Scorpius, quibus generatio & procreatio rerum quaſi inſenſibilis, & inprimis per amica ſilentia noctis, ut Poëta inquit, ſerpens, & laboris diurni opera prius adducta oſtenditur. Solebant autem Chaldæi Aſtrologi ſecundum ſuam ſuperſtitioſam artem,*

artem, partes generationi destinatas in homine, Scorpioni attribuere, & nescio quid præterea de illorum fœcunditate, qui sub illo sydere in lucem editi essent, commentari.

Supra etiam Colonum nostrum CORVVS *Apollini sacer volitat, illiusq; cervicib. quasi imminens, eum suo crocitu & clamore ad assiduitatem & perseverantiam adhortari videtur, è cuius clamoribus indicia impendentis tempestatis deprehendi autor est Plutarchus in* ὑγιεινοῖς.

At cum in hoc nostro rustico negocio ante omnia fides & amor ad mutuas tradendas operas requiratur, ideo bovi canem assilientem & quasi comitem fidum ipsi conjungentem addidere. Hoc enim animal fide & amore prope incredibili nō solum vivos dominos colere, & observare, sed etiam jam mortuos prosequi certum est: ut etiam sæpius cum illis m[illegible] vel paulò pòst se quoque conficere non dubitarit. Cuius rei tam veterum quàm recentium historiæ pluri-

mæ in promtu sunt: & potiß. Plutarchus in libello de Animantum terrestrium & aquaticorum comparatione rara exempla recenset: sicuti quoque Ælianus de varia historia passim, ac inprimis lib. 1. cap. 10. de Animal. & Plinius lib. 8. capite 40. Solinus cap. 20. Quæ plæraque & alia multa in suis Meditationibus historicis meus frater studiosè collegit, eaq; omnia huc transferre nimis lõgum foret. Rectè itaque Micyllus, poëta nostri sæculi non postremus, quoddam suum carmen ludicrum ita & orditur, & finit,

Inter quadrupedes Canis fidelis.
Inter quadrupedes Canis voluptas.
Inter quadrupedes Canis patronum
Cognoscit, veneratur, & tuetur.

Hinc quoque Plato in Phædone per canem tanquam fidei notam jurat. Præterea Romani in suis nummis (qui profecto plus doctrinæ semper in recessu habent, quàm prima fronte promittunt) signum fidei esse voluerunt, quemadmodum apparet in antiquo nummo argenteo quodam, ubi C. Mamilio limitum ponen-

ponendorum præfecto aßiliens Canis adjungitur. Huc quoque referri poßunt, quæ de eorum admiranda ſagacitate plurimi autores ſcripſerunt: hanc enim quoque virtutem in agricola plurimum requiri notißimum eſt.

Sequitur poſtea LEO, *fortitudinem inſuper & robur quoddam hic requiri innuens. Itaque Cicero dicit: Vim Leoni, & fraudem vulpeculæ eſſe peculiarem. In antiquis vero nummis Magnæ Deæ olim (quæ eadem quoque Cybele & Tellus ipſa, quaſi omnium mater habebatur) Currum leones trahunt: quod Lucretius etiam teſtatur,*

Hanc veteres Graiûm docti cecinere poëtę
Sedibus in curru bijugis agitare Leones.

At recte Columella initio libri primi de Re ruſtica tradit, non ſolum diligentiam, fidem ac robur, ſed etiam prudentiam, ſolertiam ac providentiam ad Agriculturam exercendam plurimum requiri, quapropter hic etiam Cani ac Leoni SERPENS *additur, cuius allegorica explicatio in ſacris literis quoque*

habetur, cum jubet CHRISTVS *ſuos diſcipulos eſſe prudentes, ſicuti ſunt ſerpentes. Præterea antiquitas olim prophana Æſculapio μυθολογικῶς Medicorum Deo eundem aſſignavit & conſecravit. Cuius rei apud alios autores aliæ afferuntur rationes, omnes tamen in eo conſentiunt, per ſerpentem notari vigilantiam, induſtriam, & prudentiam ſingularem in rebus curandis & expediendis. De quo plura legi poterunt apud Cornutum Grammaticum.*

Jam infra Bovem SCORPIVS AC CANCER *collocantur, quibus ambobus tam creationem quàm generationem omnium ex terra naſcentium ſignificare voluerunt. De ſcorpio prius aliquid eſt dictum, & nunc quoq; pauca addamus: ac referamus aliquid de ipſius prolifica vi & generatione, tanquam miraculum quoddam Naturæ. Si enim glebæ ſumantur ex ruderum illorum terra, in quibus ſcorpiones frequenter, ut ita dicam, ſtabulari ſolent, eæq; collocatæ inter duos lateres coctos, & tempore ſuo*

tepida

tepida aqua irrigatos, æstivis caloribus sub dio exponãtur, spacio paucorum dierum scorpiones inde oriri certum est, atque experientia confirmatum: quapropter etiam hoc nomine merito generationis Symbolum esse possunt. Aliud quippiam, non minus quàm hoc, de quo diximus, admiratione dignum, ex Ovidio lib. 15. Metamorph. desumtum est. Ubi ex Cancro demtis brachiis terraq; obruto Scorpium enasci scribit:

Concava littoreo si demas brachia cancro,
Cætera supponas terræ, de parte sepulta
Scorpius exibit, caudaq; minabitur unca.

CANCER *verò ortum sive vitæ humanæ propagationẽ Platonicis philosophis denotare solebat. De quo Macrobius in Commentariis ad somnium Scipionis capite 12. ita scribit: Duo Tropica signa Capricornus & Cancer feruntur. Has solis portas physici vocarunt, quia in utraque obviante solstitio, ulterius solis inhibetur accessio, & fit ei regressus ad Zonæ viam, cuius terminos nunquam relinquit. Per has portas animæ de cæ-*

lo in terras meare, & de terris in cœlum remeare creduntur. Ideo hominum una, altera deorum vocatur. Hominum cancer, quia per hunc in inferiora descensus est, Capricornus deorum, quia per illum animæ in propriæ immortalitatis sedem, & in deorum numerum revertuntur. Hæc ille.

Supra hæc omnia à nobis jam commemorata SOL *oriens radiis undique fulgens apparet: qui autor est terrestris fœcunditatis, quorum vi abdita in terræ visceribus semina foventur atque excitantur. quamobrem quoque Horatius ipsum Almum vocat, quòd eius lumine & calore vivifico supra universam terram diffuso omnia alantur & foveantur: sitq; hic ad generationem rerum singularum necessarius. Cicero verò moderatorem & ducem temporis nominat. Et alio in loco ait: Eum sua luce cuncta lustrare atque complere. Vehitur autem quaternis equis, quibus celeritas motus exprimitur: quorum nomina etiam, ortum eius & igneam ac flam-*

meam

meam naturam indicantia, apud Ovidium leguntur:

Interea volucres Pyroeis, Eous & Aethon
Solis Equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.

Prope solem forma muliebri fascius involuta NATVRA *assistit, cuius occulta & abdita vi omnium rerum primordia, Solis lumine ac efficacitate, & terræ diligenti cultura, producuntur atque conservantur, ideo ingeniose profecto solem & naturam antiqui isti philosophi conjunxerunt. Tres præterea* LAMPADES *prope collocatæ sunt, tria solis tempora indicantes, ortum nimirum, meridiem & occasum, quæ tanquam certi indices, & laborum atque operarum rusticarum notæ convenientes in omni diurno negocio, ceu faces quædam præludentes, præferri debent, quarum observatio plurimum necessaria esse solet.*

Ex altera deinde parte LVNA *bigis insidens quasi ἀμφίκυρτος, equis nonnihil defatigatis & jam jam procumbentibus*

tibus vecta sese occultare velle videtur. Noctu enim humor syderis huius reficit & humectat, quod saepe nimius calor solis interdiu languefecit, quod Plutarchus pluribus in libello de facie lunæ probare studet. Faces autem quatuor juxta ipsam positæ, quatuor eius φάσεις sive σχήματα repræsentant, Novæ scilicet, crescentis, plenæ, & decrescentis lunæ: quæ omnia quàm diligenter à rei rusticæ studiosis observari, & propemodum ad unguem præsciri necesse sit, nemo est qui non intelligat. Rursum autem & huic naturæ simulacrum adjungitur muliebre, idque alatum, Lunæ celerem cursum consequens, atque insuper gyris serpentum circumvolutum, hastæq; innitens, quasi leges quasdam sua naturali prudentia & rediviva procreatione omnibus rebus nascentibus præscribens.

His omnibus ad hunc modum breviter & tanquam ἐν ὑπομνήσει jam expositis apparet, quàm ingenioſe & φιλολογικῶς ostendere voluerit docta antiquitas, Colonum peritum non solum oportere duo-

re duorum Luminarium cœlestium rationem diligentem habere, sed omni tempore sedulo hoc agere, ut singula ἐυκαίρως fiant: atque inprimis diei ac noctis partes recte distribuere ac observare studeat, quod innuitur quoque postremo loco duabus illis facibus ad latera agricolæ collocatis, quarum una erecta & ardens diurni laboris est nuncia, altera vero, quasi sese occultans & inversa, noctis tenebras adesse indicat, & ad quietem jam defessum agricolam hortatur.

Atque hanc succinctam huius Hieroglyphicæ picturæ explicationem hoc loco sufficere, ac lectori rerum naturalium studioso gratam acceptamq; fore arbitramur, quam eandem quasi ἐν ἀνακεφαλαιώσει, secundum Romanæ picturæ designationem & literarum notas insuper in fronte apponere visum fuit.

EPISTO-

EPISTOLA ALBERTI LOLLII AD HERCVLEM PERINATVM, Encomium & utilitates Rei rusticæ eleganter & copiosè tractans: Ex Italica in Latinam linguam conversa, à Ioachimo Ioach. F. Camerario.

S. D.

INTELLEXI *ex literis tuis, quas* XVI. *die superioris mensis ad me dedisti, multos ex amicis nostris non parum admirari, quare majorem vitæ meæ partem potiss. ruri & in villa consumere cupiam, cum tamen in urbe commodus admodum, & honorificus locus vivendi mihi sit relictus, existimantes nimirum, viro nobili, & liberaliter ac ingenue educato (qualem me esse judicant) parũ cõvenire, ita à societate hominum remotum, in agris solum versari, idque vel continuo, vel saltem*

saltem potiore anni tempore. Nam villæ (inquiunt isti) & rura propter bestias, urbes verò hominum caussa institutæ sunt. Quæ sane eos & his similia plura cum in me spargere dicas, quantum ego quidem conjicere possum, aut invidia quadam cæca erga me impulsi, idque tamen sine omni quidem caussa, aut propter exiguam harum rerum cognitionem & usum potius, quàm vero judicio, aut benevolentia aliqua præditi, ut utilitati aut honori meo consulant, talia in medium proferre consueverunt. Quibus tamen responderi potest, illos certe, si quidem legere & diligenter evolvere veterum historias studuissent, facile intellecturos esse, sapientes & nunquam satis laudatos majores nostros non solum vita rustica summopere delectatos fuisse: sed etiam in elaboranda & excolenda terra plurimum semetipsos exercuisse. Ideoque olim agriculturæ studium passim in tanto fuit precio, & honore, ut poëtæ, philosophi, principes, ipsique denique reges non solum gloriosum & laudabile

bile sibi ducerent, de ea ipsa præcepta quædam literis notare, posteritatiq; relinquere (quemadmodum fecerunt Hiero, Epicharmus, Philometor, Attalus, Mago, Archelaus, Diodorus, Philo, Aristander, Lysimachus, Hesiodus, Virgilius, & alii multi, quorum nomina M. Varro & Columella recensent) sed etiam non neglexerunt studiose seipsos in laboribus rusticis, suis manibus exercere, & inde famam & gloriam non mediocrem sibi comparare. Quamobrem etiam Xenophon in suo illo perquàm eleganti scripto, cui titulum Oeconomici imposuit, demonstrat, nullam magis rem regiæ existimationi & splendori, quàm accuratam agrorum culturam convenire, Socratemq; ideo introducit recitantem, quo pacto Cyrus minor Persarum Rex, vir ingenii excelsi, & rerum gestarum gloria celeberrimus, cum ad eum venisset Lysander Lacedæmonius, & ipse summis virtutibus præstans, eiq; dona nonnulla attulisset, in cæteris rebus comis & humanus erga ipsum fuerit, quòdam vero

vero die recreationis causſa in quendam hortum magna ipſius induſtria undique conſeptum, & ſingulari artificio conſitum eum adduxerit. Tum Lyſander admiratus egregium omnium rerum ordinem, atque proceritates arborum, illarumq; in quincuncem directam ſeriem, præterea terram ipſam bene ſubactam & cultam, & fructuum pulcritudinem, ac odorum, qui è floribus ſpirabant, ſuavitatem, dixiſſe fertur: Se non tam diligentiam ac ſtudium, quàm ſolertiam & induſtriam illius, à quo tam artificioſe eſſent omnia dimenſa ac ordinata, vehementer admirari. Eaq; laude & commendatione ait Cyrum non mediocriter delectatum reſpondiſſe: Atqui, Lyſander, meo ingenio iſta ſunt ita elaborata, mei ſunt ordines, arboresq; & plantæ, aliaq;, quæ ita miraris, mea manu ſunt ſata. Tum viciſſim Lyſandrum, ipſius contemplantem purpuram, corporisq; elegantiam, & ornatum Perſicum auro gemmisq; precioſiſſimis ſplendentem, reſpondiſſe: O Cyre, quàm me-

ritò beatus ab omnibus perhiberis, cum eiusmodi singularis fortuna tuæ excellenti virtuti conjuncta copulatáq; sit. Plinius quoque scribit, Romanos legem tulisse, qua Censorib. permittitur impunè in eos animadvertere, qui negligentius suum coluissent agrum, vnde facile apparet, quàm magno studio agriculturæ afficerentur. Cumq; idem autor in laudem & cõmendationem agriculturæ multa in medium protulisset, cupiens insuper probare, veteribus usitatũ fuisse de cultura agrorum jus quoq; peculiare exercere, exemplum Caii Furii Cresini adducit. Hic enim, cum ex parvo agro multo uberiores fructus perciperet, quàm ipsius vicini ex ampliſsimis fundis, tanta apud eos invidia & odio laborare cœpit, ut omnes existimarent, aliorum fruges ipsum incantationibus & veneficiis ad se pellicere posse. Quam ob caussam à Sp. Albino in jus vocatus, veritus ne caussa caderet, tempore judicii omnia sua instrumenta rustica, ad colendam terram necessaria, comportavit &

in

in medium forum posuit, atq; una secum adduxit filiam validam, robustam ac bene curatam, una cum bobus selectis & saturis: atque deinde ad populum conversus: Hæc, inquit, Quirites, mea sunt veneficia, hæ incantationes. Unum tamen moleste fero, & adhuc desidero, mihi non licere quoque coram vobis ostendere, & huc quoque adducere lucubrationes, vigilias, & sudores meos, quos assidue adhuc sustineo, & diu illis incubui, quo illis agrum meum meliorem fertiliorem q; indies efficerem. His auditis, communibus judicum sententiis facile absolutus, & ipsius diligentia & industria ab universo populo fuit plurimum laudata. Atque constat profecto, agriculturam multo magis curam, laborem, & operam diligentem, quibus sane omnia hac in parte consequimur, quàm sumtus & impensas magnas requirere. Ex quo olim proverbium quoque natum est, Nequam esse agricolam & plane ignavum, qui earum rerum, quas fundus suppeditare posset, minimū aliquid

aliunde compararet. Sic quoque veteres dicere solebant, Malum esse patremfamiliâs, qui interdiu opus faceret, quod noctu posset, & adhuc pejorem, qui diebus festis id agendum susciperet, quod profestis fieri deberet: pessimum vero illum, qui sereno die domi latitans sub tecto potius quàm in agro operaretur. Præterea cum illis temporibus (ut M. Cato testatur) amplissime laudari existimaretur ille, quem bonum virum bonumq; agricolam esse prædicabant, quare vituperandus erit is, qui aliorum herus & paterfamiliâs, qualem me quoq; esse fateor, ad imitationem suorum majorum in villa degere, & hoc curare sedulo, ut illa sit bene culta & ornata, unice cupit? Neque ullo modo mihi persuadere possum, veteres istos homines sapientissimos absque veris & solidis rationibus in tanto precio habuisse agriculturam. Nam, ut omittam voluptatis & oblectationum varia genera, quæ semper agricultura illis abunde largiebatur, accessit magna quoq; utilitas & neces-

necessitas, cum absque illius auxilio homines in urbibus vitam suam commode sustentare omnino non possent. Immo, quemadmodum mater aliqua infantes suo lacte nutrire debet, ita etiam terra, tanquã communis omnium mater, universis nobis ceu filiis cibum largiri solet. Eamq; profecto quotidie in nos tam facilem, benignam & liberalem experimur, ut ferè semper, ni influxus, ut vocant, cœlestes interdum hoc impediant, magno fœnore ea, quæ à nobis accepit, restituat. Sic etiam D. Chrysostomus ostendit, quantopere agriculturæ studium sit necessarium, ubi ea commoda, quæ ex aliis artibus Mechanicis consequimur, enumerans, tandẽ concludit, illis omnibus agriculturam longe esse digniorem, excellentiorem atque magis necessariam, Cum unicuique nostrum constet, ac manifestum sit, vitam nostram etiam sine pannis, sine vestibus, & aliis similibus rebus posse transigi; at sine fructibus agrorumq; emolumentis id nequaquam fieri posse. Hinc quoque, inquit,

Scythæ Hamaxobii, & Gymnosophistæ, reliquas artes tanquam pro vanis & inutilibus habentes, solam vero agricultură vitæ humanæ necessariam esse statuentes, uni huic operă dare solent, ingq; hanc omnes suas cogitationes & studia intendunt. Quem etiam illius necessarium usum perpĕdens Romulus, & quem antea nominavimus, Rex Cyrus, inter alias exercitationes, & honestas artes, inprimis subditos in Re militari, atque agricultura instituí voluerunt, ut scilicet utraque harum & ab injuria aliorum sese tueri, atque insuper longo tempore vitam sustentare possent. Hanc itaque ob caussam, ut accepimus, olim Helvetii populi consilio prudenti, & consuetudine laudabili centum pagos incolebant, ex quibus singulis annis mille selectos viros in militiam ablegabant, reliqui vero domi commorantes agros, quos tum communes habebant, colebant atque curabant. Altero deinde anno, hi, qui remanserant, similiter in bellum proficiscebantur, prioribus domum reversis,

versis, atque hac ratione alternis annis universi tam militiam quàm agriculturam exercebant. Et quod magis est, Romulus agricolas ipsis etiam civibus anteferre consuevit, neq; id sine caussa. Nam quemadmodum illi, qui in villa tantum armenta & pecora cur̃at, aliis, qui foris agros colunt, conferendi non sunt: ita eadem ratione inclusi mœnibus & in urbe degentes iis, qui die noctú-que laboribus rusticis defatigantur, pares non habentur. Numa Pompilius, ut homines ad agriculturam alacriores redderet, jussit agros in certum numerum pagorum distribui, quibus singulis suos magistratus præposuit, Eorumq; potissimum officium fuit, observare & inquirere in illos, qui aut diligenter & sedulo, aut negligenter & male terram coluissent: quorum nomina ad se deferri voluit, & sæpenumero accersitos, solertes agricolas humaniter accepit, atque interdũ muneribus ornatos dimisit: Contra vero ociosos & inertes serio objurgavit, quo partim ignominia & pu-

dore affecti, partim spe & desiderio consequendi ipsi quoq; aliquid in posterum præmii, ita pariter omnes dies noctesq; in hoc unũ intenti erant, quo pacto magistratibus Regiis se suosq; agros redderent commendatiores. Audiamus insuper, quid Sabellicus de quibusdam industriis & diligentibus agricolis, qui eam ob causam quoque populis imperarunt, & civitates rexerunt, commemoret. Cum enim Milesii propter civiles discordias pene periissent, unamini consensu Parios suarum controversiarum tandẽ judices & arbitros esse voluerunt, qui Miletum profecti, cum vidissent omnia perturbata & jam jam ad extremum exitium Reipublicæ ruere, statuerunt inprimis in agros proficisci, &, quo pacto culti essent, considerare: atque ubi deprehenderunt alicuius in fundo elaborando præ aliis studium, statim illius nomen annotarunt. Reversi deinde in urbem, convocata concione, tulerunt sententiam, in posterum Reipublicæ administrationem penes illos merito esse debere,

bere, qui in suis agris colendis diligentissimi fuissent, cum alii contra discordiarum nimis amantes, suasmet privatas res quoq; interea neglexissent. Idem quoque Sabellicus autor est, Abdolominum quendam eam ob caussam quòd summa diligentia quoddã suburbanum suum curasset, cõcilio publico ad regiam dignitatem à Sidoniis evectum fuisse, idque (quantum ego conjicio) non tam propter prudentiam, quàm agriculturæ peritiam. Maximus Tyrius, philosophus gravissimus, in quodam suo Dialogo probare conatur, civitati milites esse utiliores quàm agricolas. Sed postea mutata sententia, & quasi huius erroris pœnitentia ductus, alterum composuit Dialogum, in quò multis atque admodum firmis rationibus demonstrat, Agricolas potius civitati necessarios quàm milites esse: atque eleganter profecto & docte ibidem disputat multa, plurimúmque commodi & utilitatis Rei rusticæ attribuit. Memini quoque in Plutarcho aliquando me legisse, Gelonem Siciliæ Ty-

rannum, qui prope Himeram Carthaginenſes ſuperaverat, ſolitum fuiſſe crebro Syracuſanos extra urbē in agros educere, ut hac ratione ipſi una quaſi opera, eodémque labore atque exercitatione & robuſtiores, & ſimul etiam ad futura bella fortiores efficerentur, neve in ocio torpeſcentes, delitiisque effœminati, ignaviæ ſeſe plane dederent, ac plurib. vitiis indies inficerentur. Ad hæc cum manifeſtum ſit, duo potiſſimum genera hominum extare (quod poëtarum quoque more Terentius in Adelphis demonſtrare voluit) nimirum vel urbes vel rus incolentium: quæ, ut patet omnibus, non ſolum loco, ſed & tempore diſtinguuntur: huius utriusq; tempus quidem ſi ſpectemus, nemini dubium eſt, ruſticam vitam multo eſſe urbana digniorem & nobiliorem. Nam longe vetuſtiorem eſſe altera hinc omnibus conſtat, quòd (ut ex ſacris libris Moſaicis & aliis videre poſſumus) homines ſine ordine in agris ſua domicilia habuerint, atque ſeſe de fructibus illis, quæ forte for-

te fortuna terra illis obtulerat, sustentaverint, atque loco domuum tentoria, casas, sylvas atque etiam specus inhabitaverint. Quantum vero ad locum attinet, similiter dicere possumus, rusticam esse urbana præstantiorem, & propterea illi longe præferendam, quoniam ea inprimis à DEO opt. max. Adamo fuit demonstrata, illique ad incolendum paradisus terrestris assignata, locus scilicet amœnissimus, & omnibus deliciis refertissimus. Urbana vero vita, propter necessarium quendam usum, & conservationem sui & aliorum omnium, longo tempore postea demum ab hominibus instituta atque usurpata fuit. Nec profecto verisimile est, urbes vel castella cæpta fuisse extrui, nisi malitia inter homines primum exorta, superbia deinde accessisset, & indies denique cupiditas plura habendi, & inhiandi alterius bonis, in caussa fuisset: absque quo potius genus humanum universum sine omni discrimine in totum orbem terrarum imperium exercuisset. O Avaritia,

præci-

præcipua & unica cauſſa omnium malorum, ô deteſtanda, inſatiabilis & peſtilentiſſima pleonexia, quàm innumerabiles homines de ſummo gradu ad infimum locum præcipitaſti? Inſpiciantur diligenter omnes tam veteres quàm recentes hiſtoriæ: & facile apparebit, nullam aliam ob cauſſam tot Regna & Imperia, tam florentes & potentes Respublicas funditus periiſſe, quàm propter inſatiabilem avaritiam, & nimiam inſolentiam atque ambitionem, quoniam hisce vitiis tàm magiſtratus quàm ſubditi plane dediti & mancipati fuerunt. Quæ ſane omnia mentis acie inſigni intuens Plato, non dubitavit affirmare, vitam ruſticam magiſtram eſſe & quaſi exemplar diligentiæ, juſticiæ & frugalitatis, atque eam ob rem illa nihil utilius, nihil jucundius aut gratius inveniri potuiſſe, cum in villa & ruri longe ab omni odio, invidia, calumniis, cupiditatibus, & ambitione remoti vivamus. Quare idem graviſſimus autor, in efformanda ſua bene ordinata Repub.

leges

leges quoque nonnullas peculiariter propter agricolas & rerum rusticarum studiosos sancivit. E quarum numero sunt: Non movendos loco esse limites finium. Pœna certa mulctandos, qui agros vastassent, & frugibus nocuissent, itemque aliæ de aquæ ductibus, & similes. Quas inde postea Imperatorem Justinianum transtulisse, & pluribus verbis exposuisse in illis Titulis, qui tractant de legibus Agrariis, credibile est. M. Tullius Cicero 1. lib. de officiis, differens de multarum artium utilitate, tandem ipse quoque concludit, omnium rerum, ad usum vitæ idonearum, nihil agricultura, & agrorum commodis esse melius, nihil uberius, nihil stabilius, nihil jucundius, aut denique homine libero & ingenuo dignius. Hæc omnia tanti quoque fecit Virgilius, ut non dubitaverit summis laudibus agriculturam extollere ac celebrare, & tandem in hæc verba prorumpere,

O fortunatos nimium, sua si bona norint,

Agrico-

Agricolas, quibus ipsa procul discordibus armis
Fundit humo facilem tellus justissima victum.

Quod idem quoque Horatius in quadam Oda exprimere studuit, ubi ita cecinit:

Beatus ille, qui procul negociis,
Vt prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore &c.

In his & reliquis, quæ sequuntur, eleganter & copiose laudes vitæ rusticæ exprimere studens, voluptates & utilitates ipsius plurimas recenset. Cumque doctissimis horum poëtarum sententiis, plane quoque convenit verissimum dictum oraculi Delphici, pronunciando, nullâ aliam ob caussam Aglaum quendam, esse omnium hominum fortunatissimum, nisi quòd angustum, sed admodum fructuosum possideret fundũ, quem sua manu, quantum quidem fieri posset, ipsemet elaboraret atque coleret, neque ex eo longo tempore unquam ne pedem quidem extulisset. Solemus autem circa agri-

agriculturæ tractationem duos potissimum fines considerare: utilitatem nimirum, quam continuo inde percipere possumus, deinde voluptatem, quam ex campis virescentibus, suavitate & venustate florum, germinatione stirpium, proventu fructuum, & incremento pecudum (quas, tanquam à nobis educatas, libenter & magna cum oblectatione videmus quasi inter nostras manus crescere) capere solemus. Nec arbitror ullum tam stupidum, vel contra tam arrogantem reperiri, quem non summopere delectet conspectus villæ alicuius, quam videat indies fieri elegantiorem, ornatiorem & auctiorem, & in qua ubique magna copia bonarum & fructuosarum arborum sese offerat, nemorũ & lucorũ densæ umbræ assint, fontes perennes, rivuli limpidissimi, colles gratissimi, valles umbrosæ, prata amœnissima, & his similia plura eam undiq; ornent. Unde non mirandum est, ab Homero præstantissimo poëta describi Laertem senem, ad leniendum vehementissimum

desi-

desiderium filii Vlyssis, stercorantem quendam suum agrum, & magna diligentia illum colentem: quo ipso indicare voluit, ex nulla alia re quàm agricultura aptiorem vel majorem recreationem à quoquam hauriri posse. Quod sane optime sciunt & testantur omnes, qui hoc ipsum experiri studuerunt. Ne vero tibi videar hæc, mihiipsi applaudens, & meæ opinioni indulgens, ad hunc modum disserere voluisse, conabor ad hanc meam sententiam confirmandam nonnullos alios (pro ut in memoriam mihi revocare potero) in medium adducere, qui amore Rei rusticæ ita capti fuerunt, ut post habitis omnib. dignitatibus, magistratibus, regnis, victoriis & triumphis, ad agriculturam se totos applicuerunt. In quorum numero primus sese mihi offert Manlius Curius Dentatus, qui, posteaquam Pyrrhum bellicosissimum regem nõ solùm vicisset, sed ex tota Italia expulisset, terq; summa cum laude & gloria triumphasset, Imperiúmque Romanum sua virtute auxisset plurimum,

mum, tandem cupidissime & admodum lætabundus ad pristinos suos labores & operas rusticas reversus est, & in illis summa cum animi tranquillitate, & optatissima quiete, quod reliquum vitæ suæ fuit, consumsit. Haud quoque minorem voluptatem ex eiusmodi vitæ genere L. Quintum Cincinnatem cœpisse, ex eo apparet, quod à Senatu ad Dictaturam, magistratum summum ac dignitatem ferè regiam in urbe capessendam, accersitus, incomtus & pulveribus aspersus totus, à viatore in quodam suo angusto prædiolo, quod vix excedebat quatuor jugera, ad aratrum fuit repertus: qui tamen postea Minutio Consule, qui obsidebatur à valido Æquorum exercitu, liberato, deposita rursum autoritate, & insignibus Imperatoriis Senatui redditis, statim ad prius agriculturæ studium rediit. Non oblivione prætereundus Rex Asiæ opulentissimus Attalus, qui pariter regia dignitate relicta & abdicato Imperio, tanta cura & diligentia agriculturæ intentus

fuit, ut etiam peculiares quosdam hortos singulari studio & industria instituēdos excolendosq; sibimet ipsi delegerit. Minime etiam nobis omittendus est Diocletianus Imperator, qui molestiis in Repub. regenda valedicens, cupiensq; in posterum privatam vitam agere, in patriam suam Salonam se contulit, ibique latitans longo tempore fructus trāquillitatis suavissimæ & ocii felicissimi in vita rustica expertus est, & quanquam non semel tam per literas quàm legatos à Senatu rogatus fuerit, ut rursum Imperium suscipere vellet, nunquam tamen à sua adamata villa avelli potuit. Quid verò dicamus de optimo viro Attilio Calatino, qui propter egregias virtutes ab aratro & rastris ad Dictaturam assumtus est? Cui tamen continentia & parsimonia ita grata, & tantopere amor agriculturæ cordi fuit, ut potius elegerit privatus ruri vivere, fodiendoq; & arando terram suam defatigari, quàm princeps Romanorum haberi, & summum inter omnes Senatores locum

cum obtinere. Quapropter Ciceronem quoque judico valde argute Erucium quendam reprehendisse, culpantem S. Roscium Amerinum, quasi continuo ruri commorantem. Plane, inquiens, Eruci, & ineptus & ridiculus profecto accusator extitisses, si illis temporibus, quando ab aratris & rastris Senatores, Consules, & Dictatores Romam accersiti fuerunt, natus fuisses. Sed quibus verbis Marci Reguli laudes prædicem? Hic enim, in Africa totius exercitus Romani Imperator, cum cognovisset, propter obitum quorundam ministrorum, prædium suum valde diminui & labefactari, spretis victoriis & triumphis, quos consequi potuisset, statim à Senatu petiit sibi concedi, ut ad sua respicere, eaque sarta tecta conservare liceret: quod certe nullam aliam ob caussam factum ab eo fuit, quã singulari affectione erga suam villam, & propter summam oblectationem, quam ex agricultura sibi offerri sentiebat. Etsi vero petitio sua apud Senatum non habuit locum, nihilo tamen

minus Consules una cum universo Senatu decreverunt, Rempub. ipsam interea debere agrorum eius curam suscipere, & cavere, ne quid detrimenti ob neglectam culturam caperet. Quantos honores quoq; existimas, Pisones, Fabios, Lentulos, Cicerones, consecutos esse, quod singuli eorum invenissent modum aptissimum serendi alicuius leguminis? Unde postea cognomina illa adepti sunt: Quemadmodum etiam pari ratione Junii, Tauri, Statilii, Vituli, Bubulci, Vitellii, Caprei, Porcii, & alii plures, qui hunc in modum ab animalium diversorum cura & tractatione fuere denominati? Quid præterea dicamus de magno illo Scipione Africano? qui post multas victorias & celebres triumphos, sæpenumero, ut se ex oculis populi subduceret, & multorum vitaret invidiam, vel domi suæ se abdere, vel rus ire, ut agricultura se oblectaret, atque ibidem majorem anni partem in summa animi tranquillitate & ocio transigeret, solitus fuit. Jam igitur, si placet, isti nostri accusa-

accusatores tam protervi & impudentes esse audeant, ut patrem familiâs morantem tres vel quatuor menses ruri, idque non tam voluptatis & oblectationis, quàm utilitatis & administrationis suarum rerum caussa, accusare non vereantur? At profecto, ut libere dicam quod sentio, omnino nos eo genere vitæ recte frui posse certum est, qualis per excellentiam (ut dicitur) & proprie à Ficino, & aliis sapientibus viris multis, vita fuit nominata. Quæ quidem in eo consistit, ut homo ab animi perturbationibus aliisque molestiis & curis, quæ mentes nostras plurimum affligere solent, prorsus liber & immunis, contentus sua sorte, in quadam tranquillitate & moderatione animi vivat, atque nihilo tamen minus exerceat nobilissimum intellectus nostri donum, & illius auxilio crebro contempletur ac meditetur insatiabilem, ut ita loquar, primæ materiæ appetitũ, soliditatẽ terræ, raritatẽ aëris, aquarum fluxus, ignis pellucidam naturam, cometarũ splendorem, cœli lacteum

colorem, nivium generationem, casum pluviarum, glaciei congelationem, ventorum flatus, vim terræmotuum, balenarum impetum, colores iridis, concretionem metallorum, herbarum viriditatem, plantarum renovationem, fructuum varietatem, animalium sensus, piscium naturas, lapidum vires, hominis solertiam, solis claritatem, diei lucem, noctis tenebras, Lunæ obscurationem, planetarum cursus, stellarum ordines, & tandem suis cogitationibus ulterius quasi in cœlum penetret, secumque animo evolvat admirandam & pulcherrimam istorum clarorum & purorum intellectuum seriem, & ab uno ad alterum progrediendo, tandem ad primæ materiæ contemplationem penetret, in qua absolute, & absque distinctione, tanquam in speculo aliquo purissimo colligitur & resplendet ipsum ens, & conservatio rerum omnium. Equidem ita statuo, ruri hominem infinita genera oblectationum gustare posse, prout varia anni tempora hæc nobis læta fronte

per

per suas vices offerre solent. Jam enim videmus Ver ipsum certissimum æstatis nuncium appropinquare, omnesq; arbores quasi mutuam æmulationem exercentes mutato cortice frondibus viridissimis iterum vestiri, tamq; elegantibus & variis floribus sese exornare, ut præter suavissimos odores undique spirantes, incredibilem voluptatem & jucunditatem omnibus eas intuentibus pariant. Ad hæc aves dulci liberoq; concentu modulantes ipsarum amores, aures nostras suavi admodũ melodia complent. Quæ sane omnia quasi in viva aliqua pictura voluisse ante oculos proponere Ciceronem in his suis versibus apparet.

Cœlum nitescere, arbores frondescere,
Vites lætificas pampinis pubescere,
Ramos baccarũ ubertate incurvescere,
Segetes largiri fruges, florere omnia:
Fontes scatere, herbis prata covestirier.

Unde etiam quidam non abs re affirmare non dubitarunt, DEVM *sapientissimum in ortu Arietis mundum condidisse, utpote tempore totius anni tum*

pulcerrimo tum temperatissimo. Subsequitur postea Æstas, quæ non solum floribus, ut inprimis sunt lilia, rosæ, violæ, hyacinthi, caryophilli, & infiniti alii, ornatur, sed etiam frugibus, fructibus, uvis, animalibus, omnibusq; rebus cæteris ad vitam nostram necessariis sustinendam abundat. Huic iterum certo ordine succedit Autumnus, quo tempore aër nonnihil frigidior redditus, rursum spiritus nostros, calore prius nimio debilitatos, recolligit atque confirmat. Tandem adest Hyems, quæ etiam anni pars humanis corporibus plurimum prodest. nam humores deteriores compressi & veluti frigore cocti consumuntur, calorq; naturalis ad centrum corporis retrocedens, vires majores recipiens facilius quoque cibos ingestos consumit, ac superflua noxiaq; expellit. Atque ideo tum, quoniam secundum philosophos virtus conjuncta multo validior quàm dissersa habetur, manifestum est, nos omnes esse firmiores, agiliores & robustiores. Et quamvis concesserim, eo tempore urbanam

nam vitam esse commodiorem rustica, nihilominus certe ruri quoque, si forsitan tum ibi quoque commorandum esset, proculdubio hanc jucunde & utiliter transigere poterimus. Neque ullum ex his quatuor anni temporibus carere suis voluptatibus & oblectationibus, qualia sunt aucupia, piscationes, venationes, & similia alia, quis non videt? Hæcque omnia, ut verum fatear, multo commodius & melius, immo potissimum ruri, & minime in urbe exerceri atque institui possunt. Sed quid ago? Tute certe ipse testari optime poteris, quàm suaviter & jucunde una vixerimus in tua ista suburbana villa amœnissima, quæ propter situm, & vicinitatem urbis, rectissimè appellari potest receptus & domicilium istorum, de quibus diximus, oblectamentorum: atque ideo non immerito cum Lachete Terentiano dicere tibi licet,

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neque agri neque urbis me odium vnquam percipit:

Vbi satias cœpit fieri, commuto locum.

Hinc etiam apparet, quare Columella tantopere commoda & utilitates suburbani prædii commendet. Non equidem ita sentio, ut existimem continuo & semper ruri esse commorandum, sed considerans tam oblectationes quàm utilitates ex agricultura promanantes, & eiusdem Columellæ præceptum quoddam mihi proponens, statuo, bonum & diligentem patremfamiliâs nunquam ultra mensem à sua villa abesse debere. quamobrem veteres quoque, ut Plinius refert, oculum herilem in agro maxime esse fertilem & fructuosum, perhibebãt. Et Mago Carthaginensis inter alia utilia præcepta, quæ in suis libris tradidit, inprimis monuit, tanti assiduam domini præsentiam momenti esse, ut bonus agricola qui esse velit, statim, domo in urbe divendita, villam inhabitare debeat. Plurimum insuper valetudini conferre, secundum Cornelium Celsum, jam in urbe, jam ruri degere, non tam propter aëris

aëris mutationem (quod tamen & ipsum multum ad rem facit) quàm exercitationis, quæ inter eundum & redeundum usurpatur, gratia, certum est. Absit me hercule, ut negem, urbes propter societatem & commercia hominum institutas, & tanquam scholas esse, in quibus laudabiles mores, egregia instituta, bonæq; disciplinæ discantur, unde etiam præcepta scientiarum optimarum & virtutum præclariss. hauriantur. non tamen propterea sequitur, justa eum reprehensione esse dignum, qui trimestre aut quadrimestre tempus, propter administrationem & conservationem rei suæ familiaris necessariam, ruri agere velit, quasi hæc vita rustica ingenii acumen obtundere, & intellectu aliquem privare queat, quódve in villa etiam nõ multo commodius quàm alibi, & maxima cum animi tranquillitate nequeamus studiis liberalibus operam dare, virtutumque exercitationibus incumbere. Audebunt forsitan isti Platonem tanquam deum Philosophorum reprehendere?

dere? Qui relicta Athenarum splendida & admodum exculta urbe, ad suam Academiam tam celebrem instituendam ne prædium quidem aliquod, sed loçum quendam incultum & horridũ potius eligere maluit, ubi assiduis & seipsum & discipulos suos studiis & contemplationibus rerum arduarum exercere maluit. Intelligebat ille profecto optime, maxime necessarium & conveniens esse, qui ad aliquem scientiarum profectum pervenire cuperent, ut procul remoti à frequentia populi, & civilibus turbis, in secessum aliquem se reciperent. Atque ideo, ut vir sapiens, hac in re sibi potius ac suis discipulis quàm vulgi opinionibus satisfacere voluit. Quod idem Seneca considerans, hortatur Lucilium Balbum, Siciliæ præfectum, si & utiliter, & jucunde in literis versari velit, quantum fieri posset, longissime se à reliqua turba subduceret, in locum aliquem solitarium sese abdens, ubi nihil facile à suo ipsum instituto vel avocare, vel etiam plane retrahere posset.

Cuius

Cuius sententiæ quoque doctus ille & prudens Hebræus Philo fuisse videtur, ubi disputat, eum, qui cogitet asperum & laboriosum virtutis collem superare, longe post se relinquere debere cunctarũ aliarum rerum curas & solicitudines, quo ante omnia hac ratione removeat universa illa impedimenta, quæ à recto animi tramite illum avocare possent. Ac idem plane Plinius Nepos exprimere studuit, ubi scribit, tum demum oculos nostros etiam hoc perspicere solere, quod ipsa mens videt, si aliis rebus omnibus quàm minime occupemur: quod quidem ruri fieri potest, ubi nihil eiusmodi occurrit, quod nostrum intellectum distrahat, sed rursum in nobis potius accendat desiderium investigandi caussas eorum effectuum, quos antea notavimus. Quapropter Petrarcha tantopere tranquillo isto vitæ genere & ipsa solitudine delectatus quoque fuit, ut se solos illos annos vixisse existimarit, quos in valle Occlusa dicta, suavissime consumserat. Hinc ita crebro invitat amicos suos, ut

secum

secum tam grata & beata vita Rustica frui velint, sicuti inprimis ex multis epistolis scriptis ad Olympum quendam apparet. Utque suum animum hac in parte planius aperiret, librum insuper de Laudibus vitæ solitariæ componere non dubitavit, in cuius fine suo exemplo probare volens id, quod antea verbose disseruit, ait se constituisse in villa amœnissima agri Patavini Arquato in societate Apollinis & Musarum reliquum vitæ suæ transigere. Et certe, si recte & diligenter perpenderis, videbis profecto omnes studiosos & literatos homines ruris secessu vehementer sese oblectasse, illudq; semper expetiisse plurimũ. Nam præter aërem liberum, & jucundam viriditatem, quæ plurimum ingenium excitant, spiritus quoque inde recreari, & intelligentiam mirifice acui, certum est. Quod & ipsum Petrarcha demonstrat, in quibusdam suis versibus, quorum hæc est sententia:

Hic non palatia, non theatra, nec atria,
Sed ipsorum loco abies, fagus, & pinus,

Inter

Inter herbas virescentes, & pulcrum
montem vicinum,
Vnde & carmina descendunt, & pluviæ,
Attolluntq; de terra ad sidera nostram
mentem.

Ex quibus manifestum est, studia bonarum artium, & agriculturæ, vinculo quasi aptissimo simul conjungi, & pariter exerceri non sine fructu posse. Sic quanto amore ruris Marsilius Ficinus detentus fuerit, plures ipsius Epistolæ, in quibus amicos suos ad villam Montis veteris amœnissimam, singulari liberalitate Cosmi Medicis, ut ibi felici ocio, & quieto animo philosophiæ operam navaret, illi donatã, invitare solitus fuit, abunde testantur. Accepimus præterea, Picum Mirandulanum inexhaustum istum omnium scientiarum fontem, & Politianum doctissimum virum, libenter admodum in villula quadam Fesulana convenisse, idque non aliam sane ob caussam, quàm ut liberius & attentius studiis bonarum artium vacare possent. Audi quæso, quid Plinius Nepos, magno ruris amore captus, ad Minutium

tium Fundanium, lib. 1. epist. 9. de prædio suo pulcherrimo Laurentino, scribat. Hic, inquit, nec audio, neq; dico quicquã, quod dixisse vel audivisse me pœniteat. Nemo est, qui apud alios falsa calumnia me oneret, neminem contra ego reprehendo, neque accuso, nisi me ipsum, quando scilicet in scribendo mihi non satisfacio; non affligor spe vel metu ullius rei, neque animum meum perturbant rumores, vel nugæ, de hoc vel alio. Cum meis libris meq; ipso colloquor. O Beata & sincera vita. O suave atq; honestum ocium, & quasi omni negocio melius. O mare & littus, verus musarum & optatus receptus, quàm multa mihi suppeditastis? quàm multa docuistis? Quapropter tu quoque, prima oblata occasione, relinque istos strepitus & vanas circumcursationes, inutiles & inanes fuge curas, totoq; animo te studiis & honesto ocio trade. Satius enim multo est, (sicut docte admodum & urbane Attilius noster dicit) ociosum esse, quàm plane nihil agere. Hæc ille. Velim te quoq;

(sicuti

(sicuti me summa cum voluptate vidisse memini) villam istam, in qua latitare voluit Bartolus propter studia sua, perlustrasse, sitam in amœnissimo colle, non ultra mille passus Bononia distantem, in qua majorem partem suorum doctissimorum & ingeniosissimorum commentariorum, quibus illustravit, & quasi vitam largitus est legum, ut vocant, corpori, composuit. Omitto hic poëtarum fabulas, qui deos deásque studiosissimos quoque fuisse ruris totiusq; agriculturæ scribunt, Bacchum nimirum, Cererem, Dianam, Saturnum, Floram, Palem, & plures alias: ac nos ab illis potius ad homines, atque illos quidem ingenio & judicio excellentissimo præditos revertamur. Quis enim magis amavit & coluit rem rusticam, ipso M. Tullio Cicerone? qui, quandocunque per negocia Reipub. aut amicorum liceret, nunc in Formianum aut Cumanum, nunc in Tusculanum aut Pompejanum excurrens, summam voluptatem ex ea re capiebat. Cui inter alia loca situs & amœnitas

agri Tusculani ita placuit, ut ad æmulationem Dionysii Syracusani, in eo loco quasi alteram Academiam instituere conatus fuerit, itaque etiam multi nobiles Romani, attracti doctrinæ elegantia, & Ciceronianæ eloquentiæ nitore, sæpenumero sua sponte ad ipsum ventitabant. Hic suas orationes emendabat & elaborabat. Hic inter alia sui ingenii opera composuit, quæstiones philosophicas, quas ab eo loco Tusculanas nominare illi placuit. Taceo ædificia sumtuosa, quæ ille extruxit in suis villis, in quæ sane (ut ex quadam epistola ad Q. Fratrem scripta conjici potest) tam magnos impendit sumtus, ut eo nomine Salustius, in Senatu cum illo contendens, gravissime eũ insectatus fuerit. Quid? Nonne M. Cato Censorinus, speculum & norma morum & severitatis Romanæ, solitus fuit dicere, omnem laborum suorum levationem, animiq; sui tranquillitatem universam posuisse se in usu Rei rusticæ. Ideoque magna cum voluptate & cupidissime versabatur in villa sua Sabi-

Sabina, plane asserens, meliorem & jucundiorem vitam hac non posse inveniri. Cum quo Seneca quoque consentit, dicens nullo in loco libentius quàm in villa sua se commorari, in quam etiam magno artificio aquæductus, ad hortorum multiplicem irrigationem, introduxerat. Legimus insuper in Gellio, Herodem, philosophum Athenienſem, plurimum delectatum fuisse sua villa Cephisia, ubi & legendo & docendo philosophiam, sibi honoris, discipulis vero utilitatis plurimum conciliarit. Nihil dico de Varrone, Palladio, Columella, quorum de agricultura multa utilissima præcepta satis clare demonstrant, quàm sedulo vita rustica vera ratione & cum utilitate instituenda sese oblectaverint. Sic possem etiam multos alios præstantissimos homines in medium afferre, qui vitam ruri potius quàm in urbe suam consumere voluerunt, è quorum numero fuit Tarius Ruffus, L. Lucullus, Quintus Scævola, C. Marius, aliiq; plures, nisi putarem sufficere hos à me non paucos antea

enumeratos. Nec etiam pauciora de præcipuis noſtri temporis viris, quibus cum utrique noſtrum conſuetudo intercedit, referre poſſem, quanta libertate, & voluptate ruri commorantes rei familiari operam dederint. Omitto tandem innumeros Barones & nobiles, Germanos & Gallos, qui continuo in ſuis villis & ruri vivunt, atque ibi venationibus, aucupiis, piſcationibus, & eiusmodi aliis oblectationibus libentiſſime ætatem ſuam transigunt, ne videar eorum omnium, qui eiusmodi vitam amarunt, nomina ſingilatim velle recenſere. Sed quæro inſuper, unde factum eſſe putas, quod ante hæc tempora ſemper, & nunc etiam horti in urbib. in tanto precio habeantur? Certe nulla alia de cauſſa, niſi quia formam & imaginem villæ alicuius & agriculturæ repræſentant: quamvis ab initio nulli in urbibus horti fuerint, atque Epicurus (ſi fidem Laërtio habendam cenſeamus) primus extiterit, qui Athenis illos inſtituit, unde merito quoque inventor & magiſter

ſter hortorum dictus fuit. Poſtea vero ita deliciæ hortenſes creverunt, ut Semiramis regina, magno ipſarum amore capta, in illis ſuis hortis adornandis & inſtruendis, ſumtus inuſitatos & ferme incredibiles impenderit. Sic etiam Horti Penſiles Babylonii inter res admirandas & ſtupendas totius orbis terrarum numerati fuerunt. Nec ſilentio prætereunda ſingularis cura & induſtria Ægyptiorum in excolendis hortis: in quibus, propter aërem temperatum, terræ bonitatem, & eximiam ipſorum ſolertiam, omni tempore anni herbæ viridiſſimæ vigebant, atque lilia, roſæ, narciſſi, violæ, & multiplices alii flores proveniebant. Procul dubio quoque audiviſti de elegantia & amœnitate Hortorum Alcinoi Regis: itemque ipſius Mæcenatis, tam multis in locis ab Horatio decantatis: præterea quàm ſplendidi & ſumtuoſi quoque fuerint horti Saluſtii, Luculli, Plantii, Servilii, Lucani, & aliorum, per totam Italiam celebrati. Ex quibus omnibus tandem hoc ſtatuen-

dum, istud studium & sumtus eiusmodi in hortis collocatos, nullam aliam causſam, quàm singularem erga rem rusticam & agriculturam cupiditatem, habuisse. Unde, quemadmodum supra cõmemoravimus, tantæ utilitates támque multa commoda & oblectamenta emanant, ut si verissimas eius laudes, sicuti par esset, atque universas enumerare vellem, nimis longũ foret, & quamvis eloquentissimus essem, & præterea ocio plurimum abundarem, certo tamen scirem, tempore me potius quàm argumento scribendi destitutum iri. Ne itaque nimia verbositate tibi molestus sim, aut tam amplo pelago me committam, te ad illa, quæ ab jam dictis autoribus literis mandata sunt, remitto. Quod, si me amas, obsecro, tantum, quæ unus Horatius in variis suis poëmatibus, in laudem vitæ rusticæ scripsit, inspicere diligẽter velis. Nam in oda ad Numatium Plancum celebrat eleganter admodum Tiburis situm, & in altera ad Tindaridem plurimum amœnitatem villæ Sabinæ

bina commendat. In epistola etiam quadam ad villicum suum affirmat, illum vere beatum & felicem esse, qui relicta urbe ruri vitam suam agat. Apud Tibullum etiam habes elegiam primam secundi libri plenam commodis & delectationibus ex vita Rustica conceptis. Non etiam molestum sit Statium 1. Lib. Sylvarum legere, ubi exquisitis laudibus villam Tiburtinam Manlii Vopisci effert: & in 2. earundem, Surrentinum prædium Pollionis, itemq; in 4. ubi suum ingenium quasi superans, describit pulcherrimum situm villæ Septimi Severi. His adde, obsecro, sylvam Rusticam Politiani, ad imitationem Hesiodi plane expressam: ac Pontani secundum librum de Amore conjugali, de suis hortis & villa ipsa suavissimè ludentem. Ne etiam prætermittas Petrum Crinitum in 1. libro, vnice elegantem & fructuosam sylvam Oricellariam prædicantem: multo minus Claudiani poëma præclarissimũ, ad Senatorem Veronensem scriptum. Quibus adjungas quoque à Cice-

rone, in libro de Senectute, in laudem & commendationem ruris & agriculturæ commemorata: in quo loco inquit, Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector &c. Verum tamen quis melius vel plenius hæc laudavit ipso Virgilio? Cum in 4. Georgicorum (quem librum Phavorinus merito reliquis omnibus prætulit) nihil aliud, quàm hoc ipsum argumentũ tractet. Ubi non solum utilitates & voluptates, quæ inde nascuntur, recenset, sed admodum docte & ingenioſe artem quoque tradit, & præcepta exponit, quæ in exercenda agricultura, quo major oblectatio, & fructus uberior inde sequatur, observare debemus. His igitur omnibus, & insuper meo officio (cum patremfamiliâs quoque agam) inductus, rus etiam me conferre volui, ex quo tam varias ac multiplices recreationes sensi, & jucundos admodum fructus cœpi, ut hæc vita universa inprimis hoc nomine mihi accepta & jucunda esse soleat. Et primum quidem quod ad aërem, principale

pale vivendi alimentum, attinet, in hoc loco deprehendo illum puriorem esse multo & salubriorem, meoq; temperamento convenientiorem, quàm Ferrariensem, qui sua natura crassus, & humidus, & propterea malis vaporibus refertus est: quod sane quanti ad valetudinem bonam conservandam momenti sit, non arbitror te ignorare. Quantum deinde ad habitationem, domum equidem idoneam, & admodum commodam incolo, in qua hoc anno extruxi conclavia, tam per æstatem quàm hyemem quoque utilia, ut hac etiam de caussa ibi libentissime commorer. Victus quoque rationem eiusmodi esse constat omnibus, ut hic bonis & teneris carnibus, pane cādidissimo, fructibus optimis, vinis generosis & in suo genere perfectissimis, aliisq; omnibus ad vivendum necessariis rebus abundemus. Quantum postea ad privatas oblectationes pertinet (publicis enim non semper interfum) domi nostræ omnis generis Musici audiuntur, lusus honesti, & liciti atque jucundi

cundi instituuntur, nonnunquam choreis, ad familiæ recreationem, locus aliquis tribuitur. Hîc libri leguntur amœni, hîc de variis rebus sermones suavissimi habentur. Ad summam, hic omnia genera voluptatum, quæ honeste expeti possunt, sese per occasionẽ offerunt. Quapropter, nisi arrogans esse viderer, hæc duo inter sese conferens, non dubitarem affirmare, quemadmodum Athenis Isocratis domus scola & officina Artis oratoriæ nuncupata fuit, sic nostram quoq; recte dici posse armarium & penus voluptatum honestarum, utque uno verbo complectar, hospitium proprium lætitiæ & hilaritatis. Præterea non contemnenda est quoque hæc commoditas, quòd in vicinia sint urbes aliaq; loca, unde singulis diebus rerum necessariarum deportandarum occasiones sese offerunt. Nam villa nostra quasi in centro multarum urbium & castellorum posita est, ad ortum Ferrariam, ad occasum Mutinam, & Regium respiciens, versus meridiem vero Bononiam, & Mantuam

ad

ad septentrionem habens, quarum unaquæq; unius tantum diei itinere inde distat. Quod si denique ex hoc meo rure nullum alium fructum caperem, vel voluptatem, quæ tamen infinita est, sentirem, saltem hoc lucri inde (quod certe inprimis magnæ recreationis loco esse debet) auferrem, quòd fugiam atque declinem, quantum fieri potest, insolentiam, odia, calumnias, fastus & molestias multitudinis, quæ, tanquam grave & inutile pondus terræ, nulliusq; usus, nihil aliud facere didicit, neque ulla alia re magis tenetur, quàm ut impediat & interturbet quietem & tranquillitatem alterius. Ruri vero, libertatem gratam atq; jucundam sequens, in hoc uno libenter acquiesco, quòd mihi integrum est ambulare, consistere, agere & vivere meo more atque arbitrio, sine ulla suspicione aut metu istorum imperitorum hominum, qui, si aliter mihi maledicere aut obtrectari nequeant, saltem à tergo humeros contrahunt, aut aliomodo subsannant, quemadmodum

etiam

etiam in alios universos, qui diverso modo quàm ipsi vivunt, animati esse solent. Et quandoquidem semper ab omni ambitione alienissimus fui, neque magnifeci fumos, umbras, & gratiam vulgi, quæ tamen omnia tam magno labore comparantur, & tantarum molestiarum & calamitatũ caussæ existunt, contentus ideo vivo eo statu, quem benignitas Dei infinita mihi largita est, vivoq; hic animo quieto & pacato, secundum optimum præceptum Socratis, pro virili cupiens omnino talis esse, qualem me haberi ab aliis velim. Quæ equidem universa à me exposita, si diligenter & cum judicio maturo fuerint examinata à meis reprehensoribus, neutiquam dubito, sed potius certo scio, in posterum non ulterius ipsos admiraturos esse, quòd ita sæpenumero versari soleam ruri: potissimum autem cogitare ipsos decet, mihi inprimis, tanquam humeris meis gubernationem & onus rei familiaris sustinenti, quemadmodum antea quoque retuli, hoc admodum necessarium esse:

ut

ut qui ſtudeam hac quoque in re imitari majores noſtros, omnemq; artem, curam, operam & diligentiam agriculturæ impendere. Quæ cum nobis tantopere uſui & voluptati eſſe poſſit, id ſi quis forte non agnoſcit, nec expertus eſt, certe iniquiſſimus eſſet, qui alterum, cui hæc notiſſima & gratiſſima ſunt, calumniari etiam non dubitaret. Sin vero inſuper aliquis, his compertis & optime notis, nihilo minus tamē, quamvis illius rei copia ipſi ſit, non fruatur, nec in frequentem uſum transferre cogitet, is, mea quidem ſententia, non ſolum reprehenſionem, ſed & caſtigationem quoque meretur. Vale. E villa Lolliana, 21. Octob. Anno Chriſti 1543.

EPISTO-

EPISTOLA ALTERA SYLVII EIVSDEM ARGVMENTI.

Aeneas Sylvius S. P. D. Iohanni Tholonico patruo suo.

ELEGISTI, *ut audio, senectuti tuæ convenientissimam vitam; hortulis quoniam rigandis, & rei rusticæ studes. Res est te digna, & senio tuo: dulce hoc ocium, est honestum negotium, & modesta voluptas. Jam non armis aptus es, gravis galea esset, molesta lancea, intolerabile scutum. Rursus quoq; in rerum civilium versari fluctibus, carere somno, cibum non sumere in tempore, mortifera res est senibus. At rusticatio vitam quietam, honestam & liberam & fragilitati convenientem præbet.*

Nec tu primus ex sapientibus viris, in hoc vivendi genus, ex rebus publicis convolasti. Nulla voluptas major Horatio fuit, quàm ruri sese recipere, quò cũ venisset, vix illinc poterat Octaviani Cæsaris & totius mundi Domini jussibus evocari. Cum verò in urbe foret, miro

miro desiderio ruris assiduè tenebatur, hinc ad Mœcenatem scribens: O rus, inquit, quando ego te aspiciam? Perlegę Epistolas Senecæ, quid illic magis, quàm agrorum cultus collaudatur? Plantavit ille platanos sua manu, piscinas fodit, aquas deduxit. Nullibi libentius erat quàm in agris. Quid in Catone majore Cicero scribit? quas utilitates ex agricultura percipi ostendit? quàm uberrimos quæstus, quantam illic voluptatem consistere? quantam mentis quietem? quantam curarum remissionem? quantam naturalem oblectationm? Hoc genus vitæ solum, naturæ hominum usuiq; præcipuè est accommodū, quando omnia ad victum cultumq; nostrum spectantia nobis suppeditat. Sapis equidem, qui hanc vitam delegeris, à tempestatib. civilis insaniæ remotissimam. Hinc potes tanquam ex altissima specula, nos civilibus negociis implicitos quasi naufragantes despicere, hîc potes tibi soli vacarę, te colerę, te frui. Diocletianus, cui urbs parebat, depositis Imperii fascibus,

in

in villa Salona, agriculturæ ſtudiis ſeſe tradidit. Perfeciſſet idem Auguſtus, ut quidam ſcribunt, niſi timuiſſet inſidias. Cyrus Perſarũ Rex gloriari ſolitus erat, hortum ſuis manibus conſtitutum, & arbores in ordinem poſitas. Sed ne moralia tantũ exempla ſequamur: DEVS *ipſe, cum hominem primo creaſſet, ubinam illum poſuit niſi in hortis deliciarum? Et illum cum illinc expulit, quô nam obſecro niſi in agros miſit? Facis ergo, mi Johannes, quod te decet, quodque ego, ſi potero, aliquando faciam. Nam degentem ruri hominem commendo, curam laudo rerum ruſticarum, conſerendi plantandiq; ſolertiam probo. Moneo tamen, ut labor levis ſit, qui corpus non atterat, ſed exercitio quodam corroboret. Ibi modeſtè vives, integritatem vitæ ſervabis, non ibi curioſitas ſupervacua, & anxia te tenebit ſolicitudo, ut quid, quando, ubiq; geratur pernoſcas, non ſomnum tibi adimere poterunt curæ, invidia, peſtilentia & edaci carebis livore, nulli fraudi locus erit, nulli ſcelerum officinæ*

patebit

DESIGNATIO PICTVRÆ, OFFICIVM BONI COLONI EXPRIMENTIS.

A *Sol oriens.*
B *Natura rerum Solis comes.*
C *Tria Solis tempora, ortus, meridies, occasus.*
D *Luna occidens.*
E *Natura rerum velox Lunæ celeri adjuncta.*
F *Quatuor Lunæ tempora, nova, semiplena, plena, & iterum semiplena.*
G *Dies facem extollens.*
H *Nox facem dejiciens.*
I *Corvus diligentiam notans.*
K *Terræ colonus, optimus & diligens Agricola.*
L *Bos seve taurus terram designans.*
M *Gladius tauro infixus, laborem ostendens.*
N *Sanguis terræ fructus innuens.*
O *Canis amoru & fidei signum.*
P *Serpens providentiæ icon.*
Q *Leo, quo robur significatur.*
R *Cancer, qui creationem.*
S *Scorpius, qui generationem demonstrat.*
T *Spicæ terræ fructus indicantes.*
V *Arbor nocturna cum Scorpione, generationis.*
X *Arbor diurna cum bovis capite, laborem notans.*



patebit accessus; sed dulcis securitas, quies tranquilla, ocium frugi, vita officio plena, urbanis honoribus atque divitiis omnibus anteferenda te habebit. Sequere igitur, ut cœpisti, & agrum simul & teipsum ita excultum redde, ut, cum egredi vita oportet, ad hortos illos pervenias, quibus nec pluvia nocet neq; æstus. Vale.

Huc etiam pertinet elegans admodum & erudita Epistola, una cum carmine præclaro doctissimi Lipsii, quæ cum extet in prima Centuria, numero octava ad D. Gulielmum Breugelium Regium consiliarium, eius cognatum, supervacaneum esse putavi, hoc loco illam inculcare. Ad illam itaque φιλογεωργὸν lectorem remitto.

CARMEN ERVDITISSIMVM LAZARI BONAMICI, AD BENEDICTVM RAMbertum, de vita Ruſtica.

DVM Venetum ſecreta animo RAMBERTE *volutas,*
Quæ molem imperii tantam terráque mariq̃
Suſtentant, patriumq̃ decus majoribus augent,
Dumq̃ tuum nomen longos extendis in annos,
Regibus expromens doctis hæc omnia cartis,
Me mea rura tenent, ſemper gratiſſima rura,
Sed tunc grata magis, quoties ver fundit odores,
Temporaq̃ arrident cœlo diffuſa ſereno:
Hic ego dum curas aveo deponere amaras,
Reddere meq̃ mihi, vitam præſtare beatam
Quid queat, adverti, modo quis, procul urbe relicta
Rura colat, ſtudiis animumq̃ oblectet amœnis.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
ERRABAM vacuus depreſſæ collibus altis
Quæ ſe ſubjiciunt valles, ac florida circum
Prata rigant liquidi fontes ſalientibus undis,
Ecce mihi auditur ſublatus ad æthera cantus
Paſtoris, tremula recubantis molliter umbra,

Cui

Cui respondebant cantanti hæc concava saxa.
QVID datur à divis melius mortalibus ægris
Quàm bona, quæ pariunt passim lætissima rura?
Hîc hominum primi vitam incoluere beatam,
Cùm placidam nondum turbarent prælia pacem,
Nec caderent miseræ crudeli cæde phalanges.
Huc etiam divi descendere non dubitabant,
Horrida nec puduit sese demittere in antra,
Incertoq; gradu nitidos errare per agros,
Atque humiles alto terras præponere cœlo.
Nec mirum, vultu læto cum dia voluptas
Suppeditet nobis bona gaudia tempore in omni,
Cum variis tellus redimitur floribus, & cum
Arboribus virides redeunt per brachia frondes.
Atq; avium dulces cantus nemora avia complent.
Quin etiam spectare juvat flaventibus arvis
Undantes segetes, juvat & considere in umbra.
Tum pater autumnus decerpit mitia poma,
Et juvat in mediis nivibus venarier apros.
Quid simile attulerint urbes? latet urbibus altis
Curarum genus indomitum, duriq; labores.
Hunc levis ambitio exagitat noctesq; diesq;,
Omniaq; evertit jucundæ commoda vitæ.
Esse potest quid enim damnosius ambitione?
Aut quod discruciet magis, aut mage sit fugiendũ?
Illum divitiis videas inhiare repertis,
Sub pedibusq; deûm substernere relligiones,
Pluribus ut terram fœcundam vertat aratris,

Et colat auratas ædes, stratisq; recumbat,
Quæ Tyrio tinxit conchylis purpura fuco.
Quid? maris horrentes quoties tolerare procellas
Cogit avarities, quando dulcissima conjunx
Linquitur, & dulces nati, quos cura fatigat,
Ne pater infelix spumantibus occubet undis?
Præterea armatas acies concurrere cernas,
Seditio quoties stimulis accendit amaris
Commotas hominum mentes, queis lenius austri
Sæpe ruunt, vastiq; cient fera murmura ponti.
Tutius ah quanto est sylvas versarier inter,
Horribilesq; feras, quàm diras seditiones?
At non hanc rabiem nobis bona rura tulerunt,
Queis natura parens æquos partitur honores,
Ne socio invideant alii, quoniam altior illum
Tollat honos, solioq; insignem exornet eburno.
Ruris opes varias, cumulat quas prodiga tellus,
Quis memorare queat? non sævum trans mare navi
Cogimur in dubia peregrinas visere terras,
Et tempestati caput objectare furenti.
Nobiscum semper vivit dulcissima conjunx,
Nobiscum nati: faciles subiisse labores
Et juvat, & lætæ traducere tempora vitæ:
Præcipuè vero convivia ponere in umbra,
Cum canis arentes rumpit latratibus agros,
Qua tenues spargit rivos argenteus amnis,
Securisq; animis somnos instillat inertes.
HAS ego pastoris voces postquam auribus hausi,

RAM-

RAMBERTE, atque animum sensi lætarier intus,
Commoda dum ruris meditatur cuncta beati:
Tunc mecũ: aut felix nusquam vitæ genus ullum,
Quo se mortales jactant, aut hoc erit unum.
Quod si quis divina animi bona rure beato
His etiam addiderit, nihil est felicius illo,
Quæ possunt homines cœli ad sublimia templa
Erigere, & fama tandem donare perenni,
Assidue veterum tractant dum scripta virorum,
Sollicitas mœsto pellunt quæ pectore curas,
Et virtute nihil demonstrant pulcrius esse:
Quæ postquam elegit, cæca caligine densa
Diffugiunt nubes, radiis pulsæ rationis.
Felices, quibus hunc vitæ decurrere cursum
Numina amica sinunt! illis non anxia cura
Deprimit in terras divinæ lumina mentis,
Sed veluti in summo sublati vertice montis,
Quem teneant tranquilla quies, atque ocia lata,
Despectare queunt alios erroribus altis
Implicitos, rectæq; viæ deflectere cursum.
O divûm rarum munus sapientia, quantis
In tenebris sine luce tua vita ipsa vacillat!
Quin etiam rerum caussas scrutantur, & omnes
Dispiciunt mundi partes, quos aurea cursus
Sydera conficiant, num sempiterna manebunt,
An potius tenebris aliquando immersa jacebunt,
Qua caussa maris unda tumet, rerumq; tenetur
In medio suspensa gravi sub pondere tellus,

Has artes docto moderantur carmine Musæ,
Rura quibus secreta placent, collesq; beati
Concinere assuetæ frondenti Heliconis in umbra.
Hæ si cui variis ornabunt tempora sertis,
Non illi in vita fortunæ tela nocebunt,
Et vaga contemto volitabit fama sepulcro.
Quod si unquã optati huc tulerit me dextera fati,
Secernens populo, ac tranquilla in sede locarit,
Dispeream, si quid magis oblectare meum cor
Possit, & ad sedes summorum extollere divûm:
Non mihi si quis opes dederit, quas Africa latis
Fertilis effudit campis, quasq; India gemmas.
At vero inprimis cuperem tot gaudia tecum
Percipere, & tecum spacium consumere vitæ
Quod superest, cum sis vita mihi carior ipsa.

Huc pertinet elegans & poëtica descriptio VILLICI Philonis apud Ausonium in Epistola quadam ad Paulinum: & RVSTICVS Politiani.

LECTO-

LECTORI BENEVOLO ET REI RVSTICAE STVDIOSO IOACHIMVS, I. F. Camerarius, Medicus, S. D.

TRahit sua quenque voluptas: inquit poëta. Cum itaque naturali quadam incitatione studia γεωργικὰ καὶ βοτανικὰ a pueritia amaverim atque plurimum amplexus fuerim, & postea meorum laborum (nam, ut Hipp. noster verissime dicit, ἐπ' ἀλλοτρίῃσιν ξυμφορῇσιν ἰδίας καρπέμεθα λύπας.) vix aliud convenientius & mihi acceptius quasi condimentum reperire potuerim: dedi semper eam ob caussam operam, ut scriptores tàm veteres quàm recentes, qui in diversis linguis in illo argumento aliquid literis mandassent, quos quidem extare compereram, sedulo conquirerem atque inspicerem: aliorum autem, quorum adhuc scripta vel non edita sint, vel à me nondum visa, nomina diligenter annotarem, ut aliquando horum etiam lectione frui possem. Quam etiam ob caussam Catalogum omnium autorum, quos quidem potui perscrutando

hucusq; inveſtigare, hic pertexere placuit: unumquemque ſtudioſum harum rerum etiam atque etiam rogans, ut, ſi quid forſitan eiusmodi librorum penes ſe lateat, qui nondum extant, hos pro ſua humanitate cãdide nobis impartiri quoq; no gravetur: Nec exiſtimet, eos privatæ oblectationis vel utilitatis propriæ cauſſa apud me ſuppreſſum iri: ſed potius in hoc unum me incubiturum eſſe, ut illi fideliter cum aliis publice multis communicentur: interea etiam nonnulla, quæ in manibus habeo jamdudum, & hoc in genere ad omnium utilitatem adornare ſtudeo, tandem etiam volente Deo, abſolvere conabor. Sit enim nobis ſemper ſententia illa, quæ Ariſtoteli aſcribitur, admodum laudabilis, præ oculis: Bonum unumquodque quo communius, eo melius.

Vale.

CATA-

CATALOGVS AVTORVM QVORVM SCRIPTA TAM EXTANT, QVAM desiderantur, qui aliquid in Georgicis, Re herbaria & similibus scripserunt.

GRÆCI, QVI NON EXTANT, ADDVNTVR AVTEM *passim eorum autorum, qui eos laudant, nomina.*

AEGESIAS Maronites. *Varro.*
AEschylides de Re rustica scripsit. *Aelianus lib. 16. cap. 32. de Animalibus.*
AEschrion. *Varro. Plinius & Columella.*
Agathocles Chius. *Varro, Columella, Plinius.*
Alexander Myndius de animalibus volucribus & jumentis scripsit, *teste Athenæo.* *Et nominatur à Plutarcho in Vita Marii.*
Alexandri Sophistæ de Temperamento ἰητρῶν βοτάνων. *In Bibliotheca clarissimi viri D. Iohannis Sambuci asservatur.*
Amphilochus Athenienſis. *Varro, Columella.*
Anaxagoras. *Varro.*
Anaxipolis Thasius, *Varro, Plinius, Columella.*

Andreas Medicus: de plantis scripsit. *Dioscorides, Galenus, Plinius, & interpres Nicandri.*

Androcides, alius Andracides. *Theophrastus, Plinius.*

Androtionis libri de agricultura. *Theophrastus, Athenæus, Varro, Plinius.*

Antigonus Cymæus. *Varro, Columella, Plinius.*

Antiphontis Georgica: item de pavonibus. *Laudat Athenæus.*

Antipater liber de animalibus. *Plutarchus.*

Apollodorus Lemnius. *Aristoteles 1. polit. Varro, Plinius.*

Apollonius Pergamenus. *Varro, Plinius, Columella.*

Archilochus. *Interpres Nicandri.*

Archestratus. *Athenæus.*

Archytas Pythagoræus. *Varro, Columella.*

Aristogiton. *Plinius.*

Aristandus Athenienſis. *Varro, Columella.*

Aristomenes. *Varro, Plinius, Columella.*

Aristomachus. Idem *Columella.*

Aristophanes Mileſius. *Plinius.* Maleotes *ut Varro.*

Aristophanes Byſantius: De natura Animalium. *Hieroeles in Veterinaria.*

Aristoteles Peripateticus. *Varro, Laertius, Athenæus.*

Aſclepiadis Tanitrum. *Plinius.*

Aſclepiodorus Alexandrinus: de cuius ingenii acumine mira refert *Suidas.*

Attalus. *Varro, Plinius, Columella.*

Athenagoras. *Varro.*

BACCHIVS Mileſius. *Varro, Plinius, Columella.*

Bion Solenſis. *Varro, Plutarchus, Plinius.*

CAICLVS Arginus de piſcibus carmine ſcripſit. *Athenæus.*

Chæreas

Chæreas Athenienſis, de Carduis & Spinis ſcripſit diligentiſſime. *Plinius, Columella.*

Callimachus de trifolio. *Nicandri interpres in Theriacis.*

Calliſthenes de venatione. *Plutarchus.*

Chæreſteus Athenienſis, *ut Varro.* Vel Chæriſtus, *ut Plinius.* Vel Chreſtus Euphronis: *ut Columella.*

Chartodras. *Theophraſtus lib. 2. capit. 8. de hiſtoriis plantarum.*

Caſſius Dionyſius Vticenſis de agricultura lib. 29. Magonis transtulit in Græcam linguam. *Varro.*

Chryſippus, discipulus Eraſiſtrati: ſcripſit inter alia de Braſſica. *Plinius, Laertius, Cleobulus, Columella.*

Cleodemus, alibi Clidemus. *Theophraſtus.*

Cleophantus. *Plinius.*

Crates philoſophus tempore Artaxerxis primi floruit. *Varro.*

Cratevas cognomine ῥιζοτόμος. *Hippocrates, Dioſcorides, Galenus, Plinius, interpres Nicandri.* Eius fragmenta manuſcripta vidi apud Aloyſium Anguillaram, præfectum horti Patavini: quorum facit mentionem in ſuis opinionibus de ſimplicibus Italice ſcriptis.

DADIS. *Varro.*

Damocrates, Iberidem herbam celebravit. *Galenus, Plinius.*

Demetrii Conſtantinopolitani de cura Accipitrum lib. 2. de canibus lib. 1. *In Bibliotheca Gesneri aſſervabantur. Habentur quoque Auguſtæ in publica Bibliotheca.*

Democritus Abderites phyſicus, de agricultura ſcripſit. *Theophraſtus, Lacrtius, Varro, Plinius, Columella.*

Diago-

Diagoras. *Plinius.*

Dieuches. Separatim de Braſſica ſcripſit. *Galenus. Plinius.*

Diocles Caryſtius. *Galenus, Plutarchus, Athenæus, Plinius, interpres Nicandri.*

Diodorus Priennæus. *Varro, Columella, Plinius.*

Dion Colophonius. *Plinius, Varro, Columella.*

Dionyſius περὶ φυτῶν. *Plinius, Varro.* Eiusdem ῥιζοτομία nominatur ab ſcholiaſte *Nicandri* in Theriacis. *Item in Geoponicis Conſtantini.*

Diophanes Nicæenſis: *Varro, Plinius, Geoponicorum autor.*

Diophanes Bithynicus: cuius Epitomen autore Dionyſio Vticenſi laudat Plinius. *Varro.* Magonis ſcripta in v i. libros redegiſſe dicitur.

Diphilus Siphnius. *Athenæus.*

Dolus Mendeſius Aegyptius. Sub Democriti nomine falſo propoſitus. *Columella.*

Dorionis libros Georgicorum & de piſcibus. *Athenæus.*

Dorotheus. *Plinius.*

EPAENETI liber de piſcibus: *Secundum Athenæum.* De oleribus, *ut refert ſcholiaſtes Nicandri in Theriacis.*

Epicharmus Siculus. *Plinius, Columella: qui ait pecudum medicinas eum diligentiſſime conſcripſiſſe.*

Epicurus Athenienſis, de plantis ſcripſit, *autore Laertio.*

Epigenes Rhodius. *Varro, Columella, Plinius.*

Eraſiſtrati ſcripta herbarum referta eſſe: *inquit Plinius.*

Evagon Thaſius. *Varro, Plinius Evagoram alibi nominare videtur. Columella.*

Eubolus, *Varro,* vel Cleobulus, *Columella, Plinius.*

Euphorion,

Euphorion. *Varro, Columella.*
Ephron, aliis Euphyton. *Varro, Athenæus, Columella.*
Euphronius Athenienſis: vel, ut alii, Euphranius. *Varro, Plinius.*
Euphranius Amphipolites. *Varro.*
Evax Rex ad Neronem de plantis ſcripſit. *Plinius.*
Eudemus de oleribus. *Athenæus, Plinius.*
Euthydemus. *Athenæus.*

FIRMI κηπόφυτα. *Plinius.*
Florentius ſive Florentinus: ſcripſit de plantatione & agricultura. *In Geoponicis Conſtantino aſcriptis. Dicitur haberi in Bibliotheca Vaticana.*

GLAVCIAS de herbis ſcripſit, circa carduos diligentiſs. *Plinius.*
Glaucon, Bupleuron olus commendavit. *Plinius.*

HEGESIAS Maronites. *Plinius.* Apud *Varronem neſcio quàm rectè legitur Aegeſias. Columella.*
Heracletus Epheſius. *Columella.*
Heraclides Tarentinus. *Dioſcorides, Galenus, Plinius, Athenæus.*
Herophilus. *Galenus, Plinius.*
Hiceſius, de conditura vini. *Plinius.*
